Dissertatio

de

analogiae graecae capitibus minus cognitis.

Scripsit

Fridericus Thiersch.

Pars secunda.

Index.

Dissertatio

de

analogiae graecae capitibus minus cognitis.

Scripsit

Fridericus Thiersch.

III.

5.

De ratione qua particulae affirmativae et causales solae apud Atticos adhibentur.

Posteaquam in prima hujus dissertationis parte (Tom. VI. part. II. p. 424 seqq.) de vi et de usu Homerico particularum asseverantium actum est, sequitur ut de usu earum apud Atticos, inprimis apud poetas tragicos agamus, quarum oratio fundamentum habet Homericum, sed terminos multo arctiores, non pauca etiam ipsis peculiaria.

1. Simplex ἦ et in aperta oratione et in interrogatione adhibetur: Aesch. Agam. 1034 *ἦ μαίνεταί γε* 1460 *ἦ μέγαν οἴκοις τοῖσδε δαίμονα καὶ βαρύμηνιν αἰνεῖς.* Repetitur etiam simul cum nomine. Aesch. Prom. 889 *ἦ σοφὸς ἦ σοφὸς ἦν.* Eurip. Phoen. 320 *ἦ ποθεινὸς φίλοις ἦ ποθεινὸς Θήβαις.* In interrogatione tam initio quam in media oratione ponitur. Aeschyl. Prom. 302 *ἦ θεωρήσων τύχας ἐμὰς ἀφῖξαι* coll. Prom. 389. Eurip. Hec. 992 *πέπλων ἐντὸς ἦ κρύψασ' ἔχεις* coll. Hec. 1298 et al.; nec tamen, quae Homeri ratio est, in interrogatione pendente locum habet pro *εἰ.* Nam quae Aeschyl. S. c. Th. 182 **Ετεοκλ.** *ὑμᾶς ἐρωτῶ, θρέμματ' οὐκ ἀνασχετά, ἦ ταῦτ' ἄριστα καὶ πόλει σωτήρια* ... *αὔειν, λακάζειν* et similia alibi leguntur, ea *σχετλιασμὸν* habent interrogationi praemissum, non vero hanc ab eo pendentem.

Praeter *μέν, δὲ* et *τοί*, de quibus postea agetur, ἦ subjectas habet particulas has: *ἄρα, ῥά.* Aeschyl. Pers. 625 ἦ ῥ' *αἶει μου μακαρίτας ἰσοδαίμων βασιλεύς.* Soph. Ai. 172 ἦ *ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις ... ὥρμασε.*

2. Subjunctam habet *γὰρ* extra interrogationem Soph. Ai. 1309 ἦ *γὰρ εἴην οὐκ ἂν εὖ φρονῶν —*; in interrogatione Aeschyl. Prom. 747 ἦ *γάρ τι λοιπὸν τῇδε πημάτων ἐρεῖς*; et interposito pronomine: Aeschyl. Prom. 976 ἦ *κἀμὲ γάρ τι συμφοραῖς ἐπαιτιᾷ*, quae ab Homero aliena sunt. Soph. Antig. 44 ἦ *γὰρ νοεῖς θάπτειν σφ' ἀπ.*; Oed. Col. 807 ἦ *σὺ γὰρ ψεύσεις ἐμοῦ*; Electr. 1212 ἦ *ζῇ γὰρ ἀνήρ.* — *Καί*: Aeschyl. Pers. 940 ἦ *καὶ ... ἔλιπες.* Ag. 916 ἦ *καὶ σὺ τίεις.* al. — *Κάρτα*: Aeschyl. Ag. 576 ἦ *κάρτα πρὸς γυναικὸς αἴρεσθαι κέαρ* coll. 1225. Choeph. 916 al. Soph. Trach. 378 ἦ *κάρτα λαμπρὰ καί.* Ag. 1338 ἦ *κάρτα πολλοὶ νῦν φίλοι.* et in respondendo Soph. El. 304. Haec quoque ab Homero aliena sunt. — *Μή*: Soph. Oed. R. 1014 ἦ *μὴ μίασμα τοῦ φυτεύσαντος λάβῃς.* El. 1495 ἦ *μὴ φύγω σε.* — *Νῦν*: Soph. Ant. 484 ἦ *νῦν ἐγὼ μὲν οὐκ ἀνήρ.* — *Οὖν* interrogativum interposito vocabulo. Soph. Phil. 121 ἦ *μνημονεύεις οὖν ἃ σοὶ προῄνεσα.* — *Πού*: Soph. Ag. 375 ἦ *που πολὺν γέλωτ' ὑφ' ἡδονῆς ἄγεις.* Quod ad interrogationem attinet, eam Elmslejus ad Eurip. Heracl. v. 56 ἦ *που καθῆσθαι τήνδ' ἕδραν καλὴν δοκεῖς*; ab his particulis removet monetque, ἦ *που* interrogative nec ne accipiatur, parum referre; cf. eund. ad Med. 678. 1275. Huic Hermannus Opusc. III p. 161, Matthiae ad Eurip. Phoen. 378 al. repugnant, nec injuria, quanquam apud Sophoclem loci omnes post ἦ *που* interrogatione carent. Inest tamen Aeschyleis et Euripideis. Prom. 620 ἦ *πού τι σεμνόν ἐστιν, ὃ ξυναμπέχεις*; Eurip. Med. 690 ἦ *που τετόλμηκ' ἔργον αἴσχιστον τόδε*; Phoeniss. 378 ἦ *που στένουσι τλήμονες φυγὰς ἐμάς*; cf. Or. 425. 832 al. — *Πῶς* infertur repetitum ex priore versu Choeph. 755 *Χορ. πῶς οὖν κελεύει νιν μολεῖν ἐσταλμένον. Τροφ.* ἦ *πῶς; λέγ' αὖθις, ὡς μάθω σαφέστερον.*

Praemissam habet *ἢ* particulam *ἀλλὰ* usu prorsus Homerico. Aesch. Ag. 267 *ἀλλ' ἦ σ' ἐπίανέν τις ἄπτερος φάτις.* Choeph. 218 *ἀλλ' ἦ δόλον τιν', ὦ ξέν', ἀμφί μοι πλέκεις.* 764 *ἀλλ' ἦ τρόπαιον Ζεὺς κακῶν θήσει ποτέ;* Eurip. Phoeniss. 1704 *ὁποῖος;* (scr. *ὁ ποῖος*) *ἀλλ' ἦ πρὸς κακοῖς ἔρεις κακά;* nec caussa erat, quare Ellendtius in lex. Soph. negaret, *ἀλλ' ἦ* consociari posse.

3. *Μὴν* sola non adhibetur, nisi si *ἔνδειξις* loco inest, ut Soph. Ant. 622 *ὅδε μὴν Αἵμων παίδων τῶν σῶν νέατον γέννημ'.* Si fortior exhortatio vel inprimis exoptatio subest, in *μὰν* abit: Aeschyl. Choeph. 957 *ἄνα γε μὰν δόμοι.* Suppl. 946 *ἴτε μὰν Ἀστυάνακτες.* Soph. Oed. Col. 182 *Ἕπεο μὰν ἕπε' ὧδ',* quae omnia lyrica sunt. Contra particulis subjungitur his; *Ἀλλά:* Aeschyl. Pers. 222 *ἀλλὰ μὴν εὔνους γ' ὁ πρῶτος,* coll. 249. Pers. 222 *ἀλλὰ μὴν ἵμειρ' ἐμὸς παῖς* et interposito vocabulo Ag. 1637 *ἀλλὰ κἀγὼ μὴν πρόκωπος,* nisi hic adhibita transpositione scribendum *ἀλλὰ μὴν κἀγώ.* Soph. Oed. Col. 28 *ἀλλ' ἐστὶ μὴν οἰκητός.* — *Ἦ μήν,* de quo postea. — *Γὲ μήν:* Aeschyl. Prom. 873 *σπορᾶς γε μὴν ἐκ τῆσδε φύσεται θρασύς.* Suppl. 165 *σύγε μήν.* Soph. Oed. Col. 593 *ὅρα γε μήν.* Soph. El. 961 *λόγῳ γε μὴν εὔκλειαν οὐχ ὁρᾷς ὅσην σαυτῇ τε κἀμοὶ προςβαλεῖς.* Hinc pendet *μέντοι,* quod *μήν τοι* scribendum erit, si disjunctio abest. Aeschyl. Suppl. 698 *νίκην γε μέντοι καὶ κακὴν τιμᾷ θεός.* Eum. 811 *καίτοι γε μὲν σὺ κάρτ' ἐμοῦ σοφωτέρα.* Soph. Oed. R. 442 *αὕτη γε μέντοι σ' ἡ τυχὴ διώλεσεν.* Eur. Hec. 595 *ἔχει γε μέντοι.* Med. 95 *ἐχθρός γε μέντοι.* Or. 106 *αἰσχρόν γε μέντοι,* coll. Med. 531. Quodsi enim *γὲ μὴν* bene se habet et non paucis locis rhythmo defenditur, qua ratione efficies, ut accedente insuper *τοὶ* et aucta asseveratione, haec eadem *μὴν* in *μὲν* minuatur? Hoc idem pertinebit ad simplex *μέντοι.* Aeschyl. Prom. 252 *πρὸς τοῖσδε μέντοι.* ib. 318 *τοιαῦτα μέντοι.* ib. 318 *τοιαῦτα μέντοι.* ib. 966. 951 et 1056 *τοιάδε μέντοι τῶν φρενοπλήκτων βουλήματα.* Ag. 917. *πιθοῦ· κράτος μέντοι πάρες γε ἑκὼν ἐμοί,* ubi tamen rhythmi causa,

ni fallor, scribendum: *πιθοῦ κράτος μὴν τόδε παρεὶς ἑκὼν ἐμοί.* — *Καὶ μήν,* quod frequentissimum, non solum *ἐνδεικτικῶς*: Soph. Ant. 526 *καὶ μὴν πρὸ πυλῶν ἥδ' Ἰσμήνη,* sed omnino in asseveratione. Aeschyl. Prom. 248 *καὶ μὴν φίλοις ἐλεινὸς εἰσορᾶν ἐγώ* al. Et subjuncto *γε* Aeschyl. Prom. 987 *καὶ μὴν ὀφείλων γ' ἂν τίσαιμ' αὐτῷ χάριν.* Choeph. 203 *καὶ μὴν στίβοι γε ... ὅμοιοι.* — *οὐ μήν*: Soph. Philoct. 800 *οὐ μὴν εὔορκον ἀξιοῦ θέσθαι* et subjecta *γε*: Oed. R. 870 *οὐ μὴν ἴσην γ' ἔτισεν.* Porro praemissa *ἀλλὰ* et interposito *τὶ*: Soph. El. 807. *Ἀλλ' οὔ τι μὴν ἔγωγε .. ἔσομαι σύνοικος,* et cum obtestatione Oed. Col. 151. *ἀλλ' οὐ μὰν ἔν γ' ἐμοὶ προςθήσεις τάςδ' ἀράς.* — *Οὐδὲ μήν* exstabat Soph. Oed. R. 870 *οὐδὲ μήν ποτε λάθρα κατακοιμᾶσαι,* ubi tamen, cum Laurentianus cod. *κατακοιμάσῃ* habeat, recte Elmsleius et Hermannus *οὐδὲ μὴ* scripsere. Bene tamen se habet interposito vocabulo. Aeschyl. S. c. Th. 791 *οὐδ' ἀμφιλέκτως μὴν κατεσποδημένοι,* quo defendi poterit *μὴν* post *ἦ που* illatum, quod Soph. Ai. 622 *ἦ που παλαιᾷ μὴν σύντροφος ἁμέρᾳ* pro *μὲν* reddidimus. Conf. Eur. Hec. 398 *ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ μὴν τήνδ' ἄπειμ' αὐτοῦ λιπών.* In vicinia ibi tolle vetus interpunctionis vitium, quod crucem Grammaticis fixit, vers. 395 *ὁποῖα κισσὸς δρυὸς ὅπως τῆςδ' ἕξομαι.* Scr. *ὁποῖα; κισσὸς δρυὸς ὅπως κ. τ. λ.* — *Ὁποῖα;* cum respectu ad praecedentem interrogationem ex qua *ἐρωτᾷς;* mente repetendum. Contra recte Phoen. 707 *τὰ ποῖα ταῦτα;* non praecedente interrogatione. Idem reponendum Soph. Ant. in loco vexatissimo v. 2 et 3 *ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν, ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;* Recte monuit Aug. Boeckhius, vir praeclarus, *ὁποῖον οὐχὶ* poni pro *ἕκαστον, πᾶν,* sed voces sunt extra relationem, quae sola *ὁποῖον* admitteret et scribendus locus: *ἆρ' οἶσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν τὸ ποῖον οὐχὶ κ. τ. λ.* In sequenti versu quarto vetus vitium, simili medicinae lenitate sanandum, superest. Versus sunt 4 et 5 *οὐδὲν γὰρ οὐδ' ἀλγεινὸν οὐδ' ἄτης ἄτερ, οὐδ' αἰσχρὸν οὐδ' ἄτιμόν ἐσθ', ὁποῖον οὐ τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.* Facile patet opponi sibi *ἀλγεινὸν* .. *ἄτης ἄτερ* ac *αἰσ-*

χρόνῳ . . ἄτιμον. Cumque posteriora ad mores pertineant, priora ad externa mala erunt referenda. Jam sibi respondent *ἀλγεινὸν* et *αἰσχρόν*, nec vero *ἄτης ἄτερ* et *ἄτιμον*, ne tunc quidem si, quae tamen intolerabilis dictionis contortio est, ad *ἄτης ἄτερ* negationem intelligeres, ut *οὐκ ἄτης ἄτερ* pro *οὐκ ἀτηρόν* haberetur. Hoc malum sustulerat *Frid. Astius*, *ἄκης ἄτερ* scribendo; sed postea conjecturam ipse repudiavit, quamquam palmariam. Est enim *ἄκη* idem, quod *ἄκεσις*, *θεραπεία*, cf. Etymol. Magn. s. v. *νάκη*: *τὸ γὰρ θηλυκὸν παρὰ τὸ νάκος νάκη· ὡς παρὰ τὸ βλάβος βλάβη, ἄκος ἄκη, σκέπος σκέπη.* Hinc pendet Hesychius: *Ἀκή. — αἰχμὴ σιδήρου ἢ ἡσυχία ἢ θεραπεία ἢ ἰάματα.* Nempe pro *ἡσυχία ἢ* ibi scribendum *ἡσυχία. — ἄκη, θεραπεία ἢ ἰάματα.* Hinc Soph. Oed. Col. 1272 *τῶν γὰρ ἁμαρτημάτων ἄκη μέν ἐστι, προςφορὰ δ' οὐκ ἔπ' ἔτι* vox *ἄκη* non ad *ἄκος* erit revocanda, commodius enim *ἄκη* et *προςφορὰ* ejusdem numeri nomina sibi opponuntur. Jam *ἄκης ἄτερ* erit *ἀνήκεστον*, *ἀθεράπευτον*, *ἀνίατον*, quod cum *ἀλγεινὸν* iunctum ad matris fratrumque necem Oedipique coecitatem spectat et prius membrum duplicis oppositionis constituit, cujus alterum praebent praedicata *αἰσχρὸν* et *ἄτιμον*, quae ad infamiam et dedecus generis pertinent. Sed haec *ἐν παρέργῳ*, quae excusata velim, si lucri aliquid Euripidi et Sophocli inde emerserit.

Denique *μὴν* in interrogatione post *τί* habet Aeschyl. Eum. 194 *ἔχρησα ποινὰς τοῦ πατρὸς πέμψαι, τί μήν;* quae Canteri emendatio est pro *τί μή*. Est enim *μὴν* cum respectu ad asseverationem, quam Apollo choro suggerit et ad sequentia: — *κἄπειθ' ὑπέστης αἵματος δέκτωρ νέου*, et *μὰν* Soph. Oed. Col. 1467 *τί μὰν ἀφήσει τέλος.*

4. *Δή* eodem quo apud Homerum modo apud Atticos adhibetur, nisi quid ab initio sententiae abest, nec quidquam deprehendas, quod cum *δή ῥα*, *δὴ γὰρ* comparari possit. Dubitari potest de *δήποτε*, quod infertur Aeschyl. S. c. Th. 196 (213): *ἅτε νιφάδος ὅτ' ὀλοᾶς νιφομένας βρόμος ἐν*

πύλαις, δή τότ' ἤρθην φόβῳ, sed ipsa rei insolentia suadet ut pro *πύλαις δὴ* legatur *πύλαις ἦν*. Ac mediae quidem sententiae *δή ποτε* sine dubio infertur ap. Aeschyl. Agam. v. 563. *Τροίην ἑλόντες δή-ποτ' Ἀργείων ςόλος* i. e. *tandem aliquando* seu post longum tempus, et apud Euripidem, sed usu diverso: Hec. 479 *ποῦ τὴν ἄνασσαν δήποτ' οὖσαν ... ἂν ἐξεύροιμι.* El. 874 *καλεῖ σ' ἄνασσα δήποτ' Ἰλίου*, quae scilicet antea fuit regina Ilii nec amplius est. Subjungitur autem *δὴ* tam nominibus, quam verbis et particulis eadem ubique, qua apud Homerum ligandi potestate, quippe quae mentem vocabulo cui adhaeret vel sententiae cui interponitur, adstringat et cogitando in ea retineat. Hinc fit, ut classes significationum modo pauciores modo plures constituant sensumque singulis peculiarem tribuant, quam voculis *sane, nimirum, scilicet, jam, tandem* reddere student, arbitrario plerumque modo. Nam haec si indicare volunt, aliis plerumque vocibus *δηλάδη, ἴσως, ἤδη, ποτὲ, ποὺ* utuntur, quibus ipsis *δὴ* adjungi potest, ut *δήπου* et, quod modo vidimus, *δήποτε*.

Diversa genera paucis exemplis monstrare sufficiet.

5. *Nominibus* adjungitur: Aeschyl. Prom. 425 *αἶ αἶ κακῶν δὴ πέλαγος ἔρρωγεν μέγα.* ib. 323 *αἶ αἶ κακῶν ὕψιστα δὴ κλύω.* ib. 216 *κράτιςα δή μοι ... ἐφαίνετ' εἶναι.* S. c. Th. 613 *τὸν ἕβδομον δὴ τόνδ' ἐφ' ἑβδόμαις πύλαις λέξω.* S. c. Th. 638 *πατρὸς δὴ νῦν ἀραὶ τελεσφόροι.*—*Pronomini:* Prom. 296 *καὶ σὺ δὴ πόνων ἐμῶν ἥκας ὑπόπτης;* Ag. 536 *ὡς νῦν τὸ σὸν δή.* Eur. Or. 32 *οἷα δὴ γυνή*, quod adverbii vice fungitur et explicativum est, item *ἃ δὴ* Soph. Ai. 1043 *τάχ' ἂν κακοῖς Γελῶν ἃ δὴ κακοῦργος ἐξίκοιτ' ἀνήρ*, ubi Hartungius *τάχ' ἐν κακοῖς Γελῶν ἂν ἅτε κακοῦργος* scribendo comparativam particulam alienam ab illo loco intulit. Usum hujus juncturae rarissimum sane Lobeckius concinne defendit ad illum versum. *Verbis* Aeschyl. Prom. 957 *καὶ δοκεῖτε δὴ Ναίειν ἀπενθῆ δώματα.* S. c. Th. 503 *πέποιθε δή*, et cum imperativo: *ἄγε δή, ἄκουε δή*; additaque *νῦν*: Soph. El. 935 *ἄκουε*

δὴ νῦν, coll. Eur. Or. 297, quae plerumque *ἐγκλιτικῶς* scribunt sine causa. *Νῦν* enim reorsim a *δὴ* cogitandum.

6. *Particulis* postponitur his *Γάρ*: Aeschyl. Prom. 1060 *οὐ γὰρ δή που τοῦτό γε τλητὸν παρέσυρας ἔπος* coll. Choeph. 801 et praecedente *ἀλλὰ* Soph. Ant. 156 *ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεύς ... χωρεῖ*, in quo tamen *ἀλλὰ* ad sententiam e nexu supplendam *„at vero taceamus“* spectat, cujus causam reliqua reddunt. Similis ratio Soph. Ai. 167 *ἀλλ' ὅτε γὰρ δὴ τὸ σὸν ὄμμ' ἀπέδραν, παταγοῦσιν*. — *Γέ*: Aeschyl. Prom. 42 *ἀεί γε δὴ νηλὴς σύ*; ita enim pro *τε* legendum; nec aliter Soph. Ai. 409 *δαρόν γε δή*, in quo et ipso *τε* vulgata est lectio. — *Δέ*: Aeschyl. Prom. 150 *νεοχμοῖς δὲ δὴ νόμοις Ζεὺς ἀθέτως κρατύνει*. Choeph. 779 *πρὸ δὲ δὴ ἐχθρῶν* cum synizesi. Eur. Or. 52 *ἐλπίδα δὲ δή τιν' ἔχομεν* et interposito *μὲν* sive potius *μὴν* Aeschyl. S. c. Th. 569 *ἐγὼ γε μὲν δὴ τήνδε πιανῶ χθόνα*. Soph. El. 1244 *ὅρα γε μὲν δὴ κἀν γυναιξὶν ὡς Ἄρης ἔνεστιν* cum respectu ad praecedens v. 1240 *τόδε μὲν οὔ ποτ' ἀξιώσω τρέσαι*. — *Ἦ δή*, de quo postea. — *Εἰ* Soph. Trach. 27 *τέλος δ' ἔθηκε Ζεὺς καλῶς, εἰ δὴ καλῶς*, ubi *δὴ* ex oratione concisa seu ex nexu supplenda jus suum nanciscitur. — *Εἶα*. Aeschyl. Ag. 1634 *εἶα δὴ φίλοι λοχῖται*. — *Ἔνθα* Aeschyl. Pers. 284: *ἔνθα δὴ πλεῖστοι*. — *Ἐνταῦθα* Aeschyl. Prom. 850 *ἐνταῦθα δή σε Ζεὺς τίθησιν ἔμφρονα*, coll. Choeph. 878. — *Ἐπεί* Soph. Phil. 866 *ἐπεὶ δὴ τοῦδε τοῦ κακοῦ δοκεῖ λήθη τις εἶναι*. Male ibi conjungunt *ἐπειδή*. Nam *δὴ* vim suam peculiarem servat. Hinc interposito *γὲ* occurrit Soph. Ant. 914 *ἐπεί γε δὴ τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην*. — *Ἔστε* Aeschyl. Prom. 455 *ἔστε δή σφιν ἐντολάς ... ἔδειξα*. — *Ἰώ* Aeschyl. Pers. 1027 *ἰὼ δὴ κατ' ἄστυ*. — *Καί* Aeschyl. Prom. 75 *καὶ δὴ πέπρακται τοὔργον*, coll. Prom. 854. Suppl. 433 multaque alia similia, et interposito *τότε*: Choeph. 806 *καὶ τότε δὴ πλοῦτον ... μεθήσομεν*, coll. Suppl. 566. Item *γὰρ* Eur. Med. 1097 *καὶ δὴ γὰρ ἅλις*. — *Μέν*: Aeschyl. Prom. 496 *τοιαῦτα μὲν δὴ ταῦτα*. Eum. 106 *ἦ πολλὰ μὲν*

δὴ τῶν ἐμῶν ἐλείξατε, et accedente *γὲ* Ag. 647 *ἡμεῖς γε μὲν δὴ πολλά*. Aeschyl. Ag. 801 *ἐμοί γε μὲν δή*. Eum. 347 *τιμάς γε μὲν δὴ* al. quae eodem modo quo *μέν τοι, γε μέν τοι, μὴν δὴ* requirunt, quamquam extra hunc situm subjunctivum *μήν τοι* et *μὴν δὴ* non copulentur. Aliud est, si consequutivum *οὖν* infertur. Soph. Trach. 151 *πάθη μὲν οὖν δὴ πολλά*. — *Ὅταν*: Soph. Ant. 91 *οὐκοῦν ὅταν δὴ μὲν σθένω πεπαύσομαι*, quo loco scr. *οὐκ οὖν* (sc. *πεπαύσομαι, ὅταν δὴ μὴ κ. τ. λ.* Nam *οὐκοῦν* sequente *ὅταν δὴ* sensu caret. — *Οὐ*: Soph. Phil. 888 *οὐ δή σε δυσχερεῖ* . . . *ἔπεισεν* et interposito *ἔτι*: Eur. Hec. 302 *οὐκ ἔτι σοι παῖς ἥδ' οὐκ ἔτι δή* ... *ξυνδουλεύσω*, coll. 622 *οὐκ ἔτ' εἰμὶ δή*, ubi particulae *οὐκέτι* disjunctim scribendae, quippe quibus vis potior inhaereat. — Porro *γάρ*: Soph. Oed. Col. 267 *οὐ γὰρ δὴ τό γε σῶμ' οὐδὲ τἄργα τἀμά* et ipso *δὴ* inter *οὐ ποτὲ* Soph. Trach. 873 *οὐ δή ποθ' ὡς θανοῦσα*, coll. El. 1097. — *Τοί*: Soph. Phil 245 *ἐξ Ἰλίου τοι δὴ τὰ νῦν γε ναυστολῶ*. Sed ibi scr. *τοι δῆτα*, quod cum *ἐξ Ἰλίου* conjung. ut factum ab Ellendtio in lex. Soph. p. 416; sententiam enim *ἐξ Ἰλίου νῦν γε ναυστολῶ* integram asseverat particula et *νῦν γε* est: nunc quidem. — *Τότε*: Eur. Or. 1471 *τότε δὴ τότε δυσπρεπεῖς ἐγένοντο*. — *Ὡς*: Soph. Trach. 885 *ὡς δὴ πλήσιον παραστάται*. Oed. Col. 913 *ὡς δὴ σὺ βραχέα ταῦτά γ' ἐν καιρῷ λέγεις*. Aeschyl. Ag. 1616 *ὡς δὴ σύ μοι τύραννος Ἀργείων ἔσῃ*, cum ironia, quae tamen potius in situ et tono, quam in ipso vocabulo inest, quod vim suam peculiarem intendendi hic quoque retinet, et Soph. Ant. 122 *οἱ τηλικοῦτοι καὶ διδαξόμεσθα δή*, eadem *ἐνεργείᾳ* dicitur.

7. Interrogationibus infertur post *τί, ποῖ, ποῦ, πότε, πῶς*. — *Τί*: Aeschyl. Ag. 1027 *τί δὴ τὸν ἄνδρα τόνδε* ... *οὐκ αὐτὸς ἠνάριξας*; coll. Choeph. 562. Eur. Phoen. 92 *τί δή με δράσεις*; et praemisso *δὲ δὴ* ib. 1277 *δράσω δὲ δὴ τί*, ubi *δὲ δὴ* extra interrogationem positae sunt, quae soli *τί* inest. Priora enim sententiam directam inchoant, quam interrogatio per *τί* illata interrumpit. — Addita *γάρ*: Eur. Or. 1577

τί δὴ γὰρ οὖν; coll. Med. 513. 318 et Med. 1280 τί δή ποτ' οὖν γένοιτ' ἄν. — Ποῖ: Aeschyl. Ag. 1109 ποῖ δή με δεῦρο τὴν τάλαιναν ἤγαγες; Choeph. 721 ποῖ δὴ πατεῖς; repetita Choeph. 399 ποῖ ποῖ δὴ νερτέρων τυραννίδες; nec non δῆτα Choeph. 1071 ποῖ δῆτα κρανεῖ; — Ποῦ: Aeschyl. Choeph. 887 ποῦ δὴ τὰ λοιπὰ Λοξίου μαντεύματα; et δῆτα Choeph. 903 ποῦ δῆτ' ὁ τῖμος, ὅντιν' ἀντεδεξάμην. — Πότε: Choeph. 709 πότε δὴ στομάτων δείξομεν ἰσχύν. — Πῶς: in junctura utriusque interrogativae πῶς et ποῖ Aeschyl. Pers. 721 πῶς τε δὴ καὶ ποῖ τελευτᾶν. In simplici et plena sententia interrogativa πῶς δὴ non inveni. Nam quod Aeschyl. Ag. 529 legebatur πῶς δὴ διδαχθεὶς τοῦδε δεσπόσω λόγου sensu incongruum erat. Neque enim interrogare potest, quomodo doceatur, neque quomodo doctus sensum orationis intelligat. Mutata igitur interpunctione scribendum erat πῶς δή; διδαχθεὶς τοῦδε δεσπόσω λόγου, ut factum in recent. edd. coll. item Soph. El. 1400 πῶς δή; τί νῦν πράσσουσιν.

8. **Τοὶ** eodem apud Atticos usu mansit, quo apud Homerum, non excepto τοίγαρ sententiae praeposito. Aeschyl. S. c. Th. 1024 τοίγαρ θέλουσ' ἄκοντι κοινώνει κακῷ ψυχή, Eur. Med. 619 φίλους ἀπωθεῖ. τοίγαρ ἀλγυνεῖ πλέον et alibi saepe. Cui accessere Homero incognita **τοιγάρτοι**: Aeschyl. Suppl. 641 τοιγάρτοι καθαροῖσι βωμοῖς θεοὺς ἀρέσονται. **Τοιγαροῦν** Soph. Oed. R. 1519 τοιγαροῦν δείξει τάχα, illud τοίγαρ τοι hoc τοίγαρ οὖν scribendum. Apertum hoc etiam ex eo, quod in simili junctura τοίνυν particula τοὶ necessario tonum servat. Νὺν enim quod subjunctum, breve esse et encliticum metro quoque evincitur. Hoc ipsum vero τοίνυν uno saltem loco periodo praemittitur, quem Lobeckius ad Phrynich. p. 348 laudat, Comici nempe Acharn. 904 ἐγῷδα· τοίνυν συκοφάντην ἔξαγε. Reliqui, quos ibi in hac re commemorat, recentioris graecitatis auctores sunt. Apud Tragicos τοίνυν non nisi in media sententia deprehenditur. Aeschyl. Prom. 762 ὡς τοίνυν ὄντων τῶνδέ σοι μαθεῖν πάρα.

Ipsa particula sola nominibus, verbis aliisque particulis eadem qua apud Homerum vi concludendi et persuadendi postponitur. Estque apud hos quoque *ἐνθυμηματικὸς συνδεσμός*, ut *δὴ ἐνδεικτικός*, *μὴν συμπεραντικός*, *ἢ σαφηνιστικός*, quibus omnibus *βεβαιωτικὸν* inest.

9. Post nomina substantiva rarius infertur. Aeschyl. Suppl. 718 *χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.* Pers. 813 *Ζεύς τοι κολάστης τῶν ὑπερκόμπων.* Ag. 896 *θεούς τοι τοῖσδε τιμαλφεῖν χρεών.* Post adjectiva, adverbia et pronomina, item post verba saepissime infertur estque apud Tragicos quoque *ἐν γνώμαις* solemnis. Aeschyl. Prom. 39 *τὸ συγγενές τοι δεινὸν ἥ θ' ὁμιλία*, ibid. 276. 700 al. Nec *κακόφωνον* fugiunt, quod repetitae diphthongo inest. Aeschyl. Ag. 1047 *σοί τοι λέγουσα παύεται.* Prom. 237 *τῷ τοι τοιαῖσδε πημοναῖσι κάμπτομαι.* Prom. 1040: *εἰδότι τοί μοι τάσδ' ἀγγελίας ὅδ' ἐθώϋξεν.* Post particulas infertur has: *Ἀλλά*, sed rarissime, ut Soph. Trach. 1229 *ἀλλά τοι θεῶν ἀρὰ μενεῖ σε.* Plerumque non nisi interposito vocabulo. Aeschyl. Ag. 1276 *ἀλλ' εὐκλεῶς τοι κατθανεῖν χάρις βροτῷ.* Suppl. 930 *ἀλλ' ἄρσενάς τοι ... εὑρήσεται.* — *Γάρ*: Aeschyl. Ag. 1010 *καὶ παῖδα γάρ τοί φασιν*, idque frequentissimum; sed Aeschyl. Ag. 973 *μάλα γάρ τοι τᾶς πολλᾶς ὑγιείας ἀκόρεστον τέρμα* corruptum est et scribendum ni fallor *μάλα γέ τοι σφοδροτέρας ὑγιείας κ. τ. λ.* — *Γέ*: Soph. Oed. Col. 1326 *σός γέ τοι καλούμενος*, et assumpto *δὴ* Soph. Oed. R. 1171 *κείνου γέ τοι δὴ παῖς ἐκλῄζετο.* — *Δέ*: Aeschyl. Prom. 1023. *Διὸς δέ τοι πτηνὸς κυών.* Conf. S. c. Th. 182. Pers. 498. Ag. 998 *μέλοι δέ τοι σοὶ τῶνπερ ἂν μέλλῃς τελεῖν*, et interposito *ἂν* Pers. 692 *ἀνθρώπεια δ' ἄν τοι πήματ' ἂν τύχοι βροτοῖς.* — *Εἰ* et *Ἐάν*. Aesch. Suppl. 382 *εἴ τοι κρατοῦσι παῖδες Αἰγύπτου σέθεν.* Soph. Ant. 327 *ἐὰν δέ τοι ληφθῇ τε καὶ μή.* — *Μή*: Aeschyl. Prom. 434 *μή τοι χλιδῇ δοκεῖτ' ἐμὲ ... σιγᾶν*, quod alteri lectioni *μή τι* ut in asseveratione praeferendum. — *Οὐ*: Aeschyl. Eum. 697 *οὔ τοι παλαιὰς δαίμονας καταφθίσας*, et *οὐδὲ* praemisso *ἀλλὰ* Soph. Phil. 1236 *ἀλλ' οὐδέ τοί*

σε χειρὶ πείθομαι. — *Ὅπως*, interjecto nomine Soph. El. 1461 *ὅπως τὸ συγγενές τοι κἀπ' ἐμοῦ θρήνων τύχῃ*, quod Brunckius e probis libris pro *τὸ συγγενές γε* reduxit. Inest enim loco simulata *ἐνθύμησις* et animi tristitia. Ceterum nota illa crasis copularum *τοὶ ἄν* etiam Tragicis frequens. Aeschyl. Prom. 395 *ἄσμενος δὲ τἂν σταθμοῖς ἐν οἰκείοισι κάμψειεν γόνυ* alibique saepissime. Soph. Ai. 530 *πρέπον γε τἂν ἦν δαίμονος τοὐμοῦ τόδε.* Eandem patitur sequente *ἄρα*, si lectio salva Aeschyl. Fragm. 329 *ὀξυγλυκεῖαν τἄρα* (scr. *τᾆρα*) *κινυεῖς ῥόαν.* Soph. El. 396 *χωρήσομαι τᾆρ' οἷπερ ἐξάλην ὁδοῦ.* Oed. Col. 1444 *δυστάλαινα τᾆρ' ἐγώ*, de quibus docte ut solet et accurate egit Ellendtius in lex. Soph. II. p. 839. Quod ad crasin ipsam adtinet, cum *οα* in *α* longum coalescant, necessario circumflexus requiritur, nec causa, quare *ι* omittatur. Hinc ratio flagitat, ut *τᾆν* scribatur. Videtur tamen vulgata *τόνωσις* a Grammaticis adhibita fuisse, quia ipsorum aetate circumflexum illud seu circumflexa pronuntiatio successu temporis et usu crebro detrita in acutam abierat.

6.

De ratione, qua particulae affirmativae ἦ, μήν, δή, τοὶ inter se ipsas apud Atticos junguntur.

Juncturae, quam particulae hae quatuor inter se ineunt, apud Atticos quoque tres sunt species: *ἦ μήν, ἦ δή, ἦ τοι.*

1. Ac *ἦ μὴν* quidem eodem quo apud Homerum modo asseverant et obtestantur. Aeschyl. Prom. 73 *ἦ μὴν κελεύσω*, 167 *ἦ μὴν ἔτ' ἐμοῦ χρείαν ἕξει*, coll. v. 909 *ἦ μὴν ἔτι Ζεύς ... ἔσται ταπεινός*, et in jurejurando S. c. Th. 513 *ὄμνυσι δὲ ... ἦ μὴν λαπάξειν ἄστυ* al. Interrogationi *ἦ μὴν* non inferuntur. Nam Soph. Trach. 1176 *ἦ μὴν τί δράσειν* totus locus ita se habet: *Ἡρ. ὄμνυ Διὸς νῦν τοῦ με φύσαντος κάρα. Ὑλλ. ἦ μὴν τί δράσειν; καὶ τόδ' ἐξειρήσεται.* Nimirum voces *ἦ μὴν* jurisjurandi formulam inchoant, ipsam vero, dum *τί δράσειν*

subjungit, vult primum a patre pronuntiari, ut eam deinceps verbis a patre conceptis repetat. Hinc interrogatio ad sola verba *τί δράσων* sc. *ὀμοῦμαι* spectat, et *καὶ τόδ' ἐξειρήσεται* est ipsius Hylli promissio. Vult igitur ab Hercule iniri jusjurandum, quod ipse deinceps iisdem quibus a patre conceptum est verbis repetat. Scribendum igitur *ἦ μὴν — τί δράσων; καὶ τόδ' ἐξειρήσεται.* Jam quod postulat Hyllus, Hercules praestat in sequentibus: *ἦ μὴν ἐμοὶ τὸ λεχθὲν ἔργον ἐκτελεῖν.* *Ὑλλ. ὄμνυμ' ἔγωγε Ζῆν' ἔχων ἐπώμοτον κ. τ. λ.*

2. *Ἦ δὴ* rarissime disjuncta inveniuntur. Aeschyl. Choeph. 737 *ἦ δὴ κλύων ἐκεῖνος εὐφρανεῖ νόον.* Saepius interposita voce. Soph. El. 377 *ἦ ταῦτα δή με καὶ βεβούλευται ποιεῖν,* ubi Triclinius *ταῦτα γὰρ* habet, sed recurrit eadem formula Phil. 561. Eadem ratio juncturae *ἦ δῆτα,* quae ab Homero abest. Aeschyl. S. c. Th. 652 *ἦ δῆτ' ἂν εἴη πανδίκως ψευδώνυμος Δίκη.* Soph. Oed. R. 429 *ἦ ταῦτα δῆτ' ἀνεκτά;* Ceterum loci, qui *ἦ δὴ* in *ἤδη* coagulatas habent, eodem quo apud Homerum modo non raro priscae asseverationis vestigia monstrant et *τόνωσιν ἦ δη* requirere videntur. Aeschyl. S. c. Th. 684 *θεοῖς μὲν ἤδη πως παρημελήμεθα.* Pers. 595 *ἐμοὶ γὰρ ἤδη πάντα μὲν φόβου πλέα.* Ag. 945 *τόδ' ἤδη ψῦχος ἐν δόμοις πέλει.* Ag. 1560 *φαίην ἂν ἤδη νῦν βροτῶν τιμαόρους θεοὺς ἄνωθεν γῆς ἐποπτεύειν ἄχη,* in quibus *ἤδη νῦν, jam nunc* locum non habet, contra *ἦ δὴ νῦν utique nunc* vel *nunc demum* requiritur. Non alia Sophocleae et Euripideae dictionis in hac re conditio. Soph. Ant. 795 *νῦν δ' ἤδη 'γὼ καὐτὸς θεσμῶν ἔξω φέρομαι.* El. 804 *ἤδη δεῖ με δουλεύειν πάλιν,* ubi Brunckius, ut par erat, *ἦ δὴ* reposuit. El. 1104 *τοῦτ' ἐκεῖν' ἤδη σαφὲς πρόχειρον ἄχθος ... δέρκομαι,* ubi ambigas *ἤδη* ad *τοῦτ' ἐκεῖνο* an ad *δέρκομαι* referendum. Sed asseveratio est ad totam sententiam spectans et scr. *ἦ δή.* Ortus inde veterum Grammaticorum error, qui cum *ἤδη* temporalem haberent particulam, tria tempora et tempus etiam *ἀόριστον* ea indicari statuerunt. Cf. Etym. M. s. h. v.

3. Ἤ τοι semel tantum et succedente ἄν cum crasi copulantur Soph. Oed. Col. 1366 ἤ τἄν οὐκ ἄν ἦν.

7.
De disjunctione Attica.

1. His expositis ad disjunctionem Atticorum transire possumus. Ejus generis, quae apud Homerum ab ἤ μὴν ... ἤ δὴ orsa in ἤ μὲν ... ἠδὲ abiit et ἠδὲ etiam suppresso ἤ μὲν solum reliquit, nullum apud Atticos vestigium remansit, nisi ἠδὲ in jungendis duobus ejusdem sententiae praedicatis aut verbis, sive sola ponatur, sive καὶ et τὲ praecedentes habeat. Aeschyl. Ag. 42 Μενέλαος ἄναξ ἠδ' Ἀγαμέμνων. Choeph. 1021. ᾄδειν ἕτοιμος ἠδ' ὑπορχεῖσθαι. Pers. 21. Ἀμίστρης ἠδ' Ἀρταφρένης καὶ Μεγαβάτης ἠδ' Ἀστάσπης. S. c. Th. 844. Ἀντιγόνη τ' ἠδ' Ἰσμήνη in magna lectionis varietate. Scr. Ἀντιγόνη γ' ἠδ' Ἰσμήνη. Praecedit enim ἀλλὰ γὰρ ἥκουσ' αἵδ'. At enim haece huc veniunt, Antigone scilicet et Ismene. Apud Sophoclem duobus in fragmentis ἠδ' apparet Lemn. I. 1. Ἄδμητος ἠδ' ὁ Δωτιεὺς Λαπίθης Κορωνός. Scyth. III. σήραγγας ἠδ' ἐπακτίας αὐλῶνας. Apud Eurip. aliquoties reperitur. Hec. 320 (323) γραῖαι γυναῖκες ἠδὲ πρεσβῦται σέθεν. cf. Herc. fur. 30.

2. Integris sententiis nectendis, quantum equidem scio, non adhibetur. Nam quod Aeschyl. Eum. 392 occurrit: λέγειν τ' ἄμορφον ὄντα τοὺς πέλας κακῶς πρόσω δικαίων, ἠδ' ἀποστατεῖ Θέμις, id inconcinnum et scribi debet ἤ δ' ἀποστατεῖ Θέμις. Magis etiam affectus locus Pers. 843 πρῶτα μὲν εὐδοκίμου ϛρατιᾶς ἀπεφαινόμεθ' ἠδὲ νομίσματα πύργινα πάντ' ἐπεύθυνον, quae multis modis critici tentarunt. G. Herm. πρῶτα μὲν εὐδοκίμους ϛρατιὰς ἀπεφαινόμεθ', οἱ δὲ νομίσματα πύργινα πάντ' ἐπεύθυνον, sed disjunctio et in se ipsa incommoda est et alienum ab hoc loco sensum praebet, dum ad Persas transfert, quae de Dario erant

dicenda. Scribendum est *εὐδοκίμου στρατιᾶς ἀποφαινόμεν', ἠδὲ νομίσματα πύργινα πάντ' ἐπεύθυνεν* sc. *ὁ βασιλεύς*. Nimirum *εὐδοκίμου στρατιᾶς ἀποφαινόμενα* sunt res ab exercitu cum gloria gestae, *πύργινα νομίσματα* instituta civilia. Dicit igitur Chorus et exercitum et civitatem seu bellum atque pacem eadem sapientia a Dario fuisse administrata. Est enim bic sensus verbi *ἀπευθύνειν*. Plut. d. adul. et am. §. 7 *εἰ χαίρει τε τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ καὶ ταῦτα ἐπαινεῖ καὶ πρὸς ἓν ἀπευθύνει καὶ καθίστησι παράδειγμα τὸν ἑαυτοῦ βίον*. Hinc navem in aestu maris jactatam apud Lucianum Merc. Cond. §. 1 narrat naufragus: *θεὸν ... πρός τινα ἠϊόνα μαλακὴν ἀπευθύνοντα*. Quin ipse rex praeclarus in chronicis, quorum partes lapidibus insculptas in montibus Busidanis vetustas tradidit, non bella tantum, quae feliciter administraverit, commemorat, sed prisca quoque patrum instituta ritusque gentis sacros, i. e. *πύργινα* vel *ἀστικὰ νομίσματα* a se vindicata gloriatur.

Ceterum ex iis, quae de usu particulae *ἠδὲ* apud Atticos poetas diximus, patet, quid statuendum sit de sententia Valckenarii, qui ad Eur. Phoen. 1683 particulae usum a Tragicis removerat, defensa a Marklando ad Eur. Iph. Aul. 812. Non enim is prorsus damnandus erat, ut factum a Porsono ad Eur. Hec. 327, sed suis finibus circumscribendus.

3. Disjunctionis ratio, qua *ἤ* in *ἦ* abiit, servata apud Atticos, sed apud hos quoque ultra terminos justos a Grammaticis extensa est. Peccatum autem inprimis est eo, quod veterum Grammaticorum doctrinam secuti nostrates omnia quae disjunctionem aut admittunt aut requirunt, ad duplicem formam *διαζεύξεως* et *ὑποδιαζεύξεως* vocarunt, neque viderunt, alias esse species, quae *διαζεύξει* vel *ὑποδιαζεύξει* mixtam habent asseverationem aut praecedentem aut sequentem. Potest enim sententiarum sese excipientium indoles ita esse comparata, ut posita asseveratione vel interrogatione dubitatio suboriatur, quae disjunctivam

sententiam per ἤ inferat aut absoluta disjunctione asseverationem subjiciendam postulet. Aeschyl. Prom. 115 *τίς … ἵκετο τερμόνιον ἐπὶ πάγον πόνων ἐμῶν θεωρός, ἢ τί δὴ θέλων;* Non enim *πόνων ἐμῶν θεωρὸς* disiunctionis pars est sed praecedentem sententiam absolvit, quo facto dubitatio subit Promethei animum, num alio quodam consilio, quam spectandi causa aliquis eum adeat. Hinc interrogationis signum etiam post *θεωρὸς* ponendum. Choeph. 1070 *τρίτος ἦλθέ ποθεν σωτὴρ ἢ μόρον εἴπω;* ubi *εἴπω* istud aperte monstrat, dubitationem animum loquentis nonnisi finita priore sententia subiisse. Similia apud Soph. Trach. 390 *Δηι. ἀλλ' εἶμι … Χορ. ἡμεῖς δὲ προσμένωμεν; ἢ τί χρὴ ποιεῖν; Δηι. μίμνε.* Nam in *δὲ προσμένωμεν* non simplex est interrogatio sed pendens a voluntate reginae: *jubes autem ut maneamus?* Loquitur enim ex voluntate reginae supposita, quasi illa pergere voluisset, *ὑμεῖς δὲ προσμένετε.* Hoc pronuntiato subit cogitatio animum Chori, num aliud fortasse regina jubeat: *ἢ τί χρὴ ποιεῖν.* Eodem modo se habet Soph. Ant. 630 *ἆρα μή … πατρὶ λυσσαίνων πάρει; ἢ σοι μὲν ἡμεῖς … πανταχοῦ φίλοι;* ubi prior interrogatio et ipsa extra disjunctionem posita est, quam sequentia demum inferunt. Haec igitur aperte transitum orationis in disjunctivam habent. Simili ratione fieri potest, ut absoluta disjunctione nova per ἤ inferatur interrogatio. Aeschyl. S. c. Th. 202 *ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας; ἢ σαφῆ λέγω;* ubi male ἢ scriptum est. Postrema enim non nisi finita disjunctione subjiciuntur.

Valet hoc idem, si post interrogationem plura sententiae membra per ἢ distiucta inferuntur. Nulla enim causa, quare ἢ primo loco positum vim interrogativam ἤ non habeat. Eur. Hec. 447 *ποῖ με τὰν μελέαν πορεύσεις … ἢ (scr. ἤ) Δωρίδος ὅρμον αἴας, ἢ Φθιάδος … ἢ νάσων κ. τ. λ.,* ubi concinnior dictio, si singula, quae sequuntur, membra disjunctiva interrogativae ἤ subjiciantur. Idem valebit praecedente *πότερα.* Eur. Hec. 1202 *πότερα κηδεύσων τινά; ἢ ξυγγενὴς ὢν ἢ τίν' αἰτίαν*

ἔχων, ubi priora una interrogatione comprehendenda scribas *ἦ ξυγγενὴς ὤν, ἢ τίν' αἰτίαν ἔχων;* sc. *ἄλλην*.

7. Hinc pendet ratio tractandi eos locos, qui particulae disjunctivae priori affirmativam *τοὶ* subjiciunt, unde *ἤτοι* ortum est. Cum tamen asseveratio ita comparata sit, ut ad utrumque, quod sequitur, disjunctionis membrum pertineat, id non alio poterit modo indicari, nisi si *ἤ τοι* scribatur, ita ut *ἤ τοι* disjunctioni praecedat haecque non duplex sed simplex tantum *ἢ* ostendat. Nam duplex *ἢ* in asseveratione nonnisi post *ἦ μὴν ὁρκωτικὸν* illatum memini. Soph. Phil. 589 *ὁ Τυδέως παῖς ἥ τ' Ὀδυσσέως βία διώμοτοι πλέουσιν ἦ μὴν ἢ λόγῳ πείσαντες ἄξειν ἢ πρὸς ἰσχύος κράτος*, ubi *διώμοτοι* est pro *διομόσαντες*.

8. Post *ἤτοι* igitur, siquidem, ut par est, *ἤ τοι* scribatur, disjunctio subjecta alterum tantum *ἢ* retinebit. Soph. Ant. 1182 *ὁρῶ … δάμαρτα τὴν Κρέοντος· ἐκ δὲ δωμάτων ἤτοι κλύουσα παιδὸς ἢ τύχῃ πάρα.* Eur. Or. 1488 *ἃ δ' ἐκ θαλάμων ἐγένετο ἄφαντος, ὦ Ζεῦ καὶ γᾶ καὶ φῶς καὶ νύξ, ἤ τοι φαρμάκοισιν, ἢ μάγων τέχναισι ἢ θεῶν κλοπαῖς.* Med. 1286 *δεῖ γάρ νιν ἤ τοι γῆς σφε κρυφθῆναι κάτω, ἢ πτανὸν ἆραι σῶμα.* Negligentia tantum *ἤτοι* relictum Soph. El. 488 *ἥξει … Ἐρινύς … ἤτοι μαντεῖαι βροτῶν οὐκ εἰσίν … εἰ μὴ τόδε φάσμα νυκτὸς εὖ κατασχήσει*, nam hic *ἤτοι* non ad praecedentia pertinet sed apodosin efficit ad *εἰ μή*. Similis conditio est, si in posteriori membro disjunctio *ἤτοι* inferri videtur. Inest enim asseveratio, quae cum plura ponantur verisimilia, disjunctionis speciem induit. Aeschyl. Agam. 464 *εἰ δ' ἐτητύμως τίς οἶδεν, ἤ τοι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος*; quae a Godofr. Herm. sic exhibentur: *εἰ δ' ἐτήτυμος, τίς οἶδεν; εἴ τι θεῖόν ἐςι μὴ ψύθος.* Vertit: *verane quis scit? nisi divina aliqua fraus est.* Nec tamen opus *ἤ* expellere. Inferuntur enim *ἤ μή τι* prorsus ad Homeri rationem, quam supra tetigimus Od. ι, 403 *ἤ μή τίς σευ μῆλα βροτῶν ἀέκοντος ἐλαύνει*; quamquam interpositis vocibus *τι θεῖόν ἐστι.*

9. Eadem res est, si post prius ἢ particula dubitativa πού aut causalis γάρ, aut denique ῥά inferuntur, quo pacto ἤπου, ἤγαρ, ἤρα ubique in ἦ που, ἦ γάρ, ἦρα mutandae eeunt. Ut enim asseveratio, ita etiam aut dubitationis aut causae consecutionisve ratio non ad unum tantum membrum disjunctionis sed ad utrumque pertinet, unde fit, ut hae particulae non posteriori sed priori tantum membro praemittantur. Sed de singulis videndum. Soph. Phil. 204 προὐφάνη κτύπος φωτός σύντροφος ὡς τειρομένου του, ἤ που τῇδ' ἢ τῇδε τόπων. Scribendum ἦ που, quod ad utrumque τῇδ' ἢ τῇδε pertinet. Nec aliter se habet praecedente ἀλλά. Soph. Phil. 214 ἀλλ' ἤπου πταίων ... βοᾷ τηλωπὸν ἰωάν, ἢ ναὸς ἄξενον αὐγάζων ὅρμον. Horum igitur omnium eadem ratio, quae in simplici aut dubitatione aut interrogatione, ut Eur. Med. 1296 τί δ' ἔστιν; ἤπου κἀμ' ἀποκτεῖναι θέλει. — Ἠγάρ: Soph. El. 1312 ἤγαρ ἂν καλῶς ἔσωσ' ἐμαυτὴν ἢ καλῶς ἀπωλόμην, coll. Ai. 474 ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι τὸν εὐγενῆ χρή. In his enim ἤγάρ et ἀλλ' ἤ scribendum, ut in aperta asseveratione, quae disjunctionem inchoat. Nec aliter Eur. Hec. 145 κήρυσσε θεοὺς ... ἤ γάρ σε λιταὶ διακωλύσουσ' ὀρφανὸν εἶναι παιδὸς μελέας, ἢ δεῖ σ' ἐπιδεῖν τύμβου προπετῆ κ. τ. λ. — Ἤρα non aliud habet exemplum nisi Soph. Ai. 178 ἤ ῥα κλυτῶν ἐνάρων ψευσθεῖσα, de quo Ellendtius quoque in lex. Sophocl. t. I. 752 dubitat, nec quisquam amplius dubitabit, siquidem omnes particulas post disjunctivam illatas removendas seu potius ipsam disjunctivam in tali situ in affirmativam mutandam recte docuimus.

8.

De loco Aeschyli a quo haec disquisitio orta est.

Superest ut de loco Aeschyli moneamus, qui huic disputationi occasionem dedit. Ag. 1069 ἤμεν κλέος σου μαντικὸν πεπυσμένοι ἦμεν, προφήτας δ' οὔτινας μαστεύομεν. Lectionis discrepantiae sunt ἦ μὴν M. cui ἦ μὲν suprascr. ab alia ut credunt manu, ἤμεν G. Fl. Ven. ἦ

μὲν Fa. cum gl. *ἦ τοι ἐσμέν.* Monuit Blomfieldius *ἦ μὲν* homericum quidem esse, sed non atticum. Inde orsa disputatio nostra docuit, *ἦ μὲν* ne apud Homerum quidem, qui et ipse *ἦ μὴν* habet ut Il. *β*, 291, *ἦ μὴν καὶ* Il. *ι*, 57 al., locum suum tueri posse, sed scrib. *ἦ μήν.* Il. *δ*, 489 *ἦ μὲν πολλά.* *ω*, 416 *ἦ μέν τοι* non exceptis Il. *β*, 798 *ἦ μὲν δὴ μάλα.* Il. *ν*, 430 *ἦ μὲν δὴ πρίν γε* aliisque locis multis, et si *μὲν* rhythmo defendatur, particulam ex *μὴν* tenuatam eoque pro *μὴν* habendam esse, ut Od. *ϑ*, 383 *ἦ μὲν ἀπείλησας βητάρμονας εἶναι ἀρίςους, ἦ δ' ἄρ' ἕτοιμα* (scr. *ἦ δὴ ἕτοιμα*) *τέτυκτο.* Sola igitur lectio *ἦ μὴν* apud Aeschyl. genuina, et *ἦ μὲν* ex prisca orthographia *EMEN* remansit. Eam Porsonus priori versui reddidit, in altero autem ut otiosum *ἦμεν* (eramus) removeretur, scripsit *ᾔσμεν* utrumque concinne et vere. Quodsi vero cum Schuetzio in utroque membro *ᾔσμεν* ponas, tollitur hoc, quidquid est, elegantiae et *ταὐτολόγῳ* oneratur dictio. Formas *ᾔσμεν, ᾔστην, ᾔστε* et *ᾔσαν* E. M. s. v. *ᾔσμεν* explicuit, putans *συγκοπῇ* ortas ex *ᾔδειμεν, ᾔδεισαν, ᾔδεσαν*, sed absque hoc auxilio e radice *ΕΙΔ*, quam *εἴδομαι* praestat, procedunt. Forma *ᾔσμεν* usus est Eur. Hec. 1088 *εἰ δὲ μὴ Φρυγῶν πύργους πεσόντας ᾔσμεν Ἑλλήνων δορί, φόβον πάρεσχ' ἂν οὐ μέσως ὅδε κτύπος.*

At vero quaeri potest, quo spectet haec declaratio, cum nondum perspexerit chorus, futura a virgine praedictum iri, ad quae *μαντικὸν κλέος* pertinet. Schol. R. V. *προφήτας οὔτινας, τοὺς λέξοντας* (Rob. *τοὺς λέξαντας*) *ἡμῖν περὶ σοῦ· αὐτοὶ γὰρ αὐτόπται ἐγενόμεθα.* Stanl.: „Immo de caede futura." — Blomf.: „Equidem scholiastam sequor." Sed is aperte corruptus est et ni fallor, pro vocibus *περὶ σοῦ* legendum *περὶ φόνου τούτου.* Credit igitur scholiasta a choro dici, non opus esse prophetis, qui quidem de illa caede canant, cujus ipse testis fuerit; cum enim chorus ad summam senectutem pervenisset, potuit sane ipse dapibus Thyesteis interesse. Sed de his non cogitandum. Praevidet

chorus virginem vatidicam ab recolenda pristinorum malorum memoria ad futurorum praesagia proruptaram esse. Haec igitur audire non vult, memor eorum, quae ipse cecinerat v. 343 seq. *τὸ δὲ προκλύειν … προχαιρέτω· ἴσον δὲ τῷ προστένειν.* Sensus igitur: „Artis fatidicae, cujus specimina exhibes in te vigentis gloriam jam dudum novimus, sed nullos prophetas desideramus.“ Male Schützius post rem bene gestam subjungit, verti etiam posse: „Jam novimus te vatem esse, ipsa re experti.“ Nam e paucis, quae hucusque dixit, satis ambiguis, illa persuasio in animo chori nondum oriri potuit.

IV.

De ratione, quae inter voces *λίνον, λινόν, λῆνος, Λίνος, αἴλινος, οἰτόλινος* intercedit.

1. Satis confusa sunt, quae de nominibus supra positis apud veteres relata et a recentioribus disputata sunt, e quibus post Fabricium Bibl. Gr. T. I. c. XIV. §. VII. et Harlesium in notis ad hunc locum, Heynium ad Il. σ, 570, Tom. VII. p. 550 seq. et auctores ab Henr. Schäfero in nuperr. ed. Thesauri Stephaniani commemoratos hic indicasse sufficiat.

Nos ad ea retractanda commoti sumus loco Aeschyli Agam. v. 120—137, ubi chorus posteaquam auguria laetam simul et lugubrem sortem portendentia rhythmis masculis cecinerat, strophae atque antistrophae hunc versum succinit:

αἴλινον, αἴλινον εἰπέ· τὸ δ' εὖ νικάτω.

Ad haec Schol. Med. Guelph. Rob. Viot. *ἐπειδὴ ὁ αἴλινος καὶ ἐπὶ θρηνοῦ λέγεται, φησίν, ὅτι ἐν τάξει ὕμνου αὐτὸν λέγει.*

Dum monet, de *luctu quoque* αἴλινον dici, ipsa particula καί indicat, non solum hanc vocabuli esse significationem, de qua postea videbimus. Interim conf. Schol. ad Eurip. Orest. v. 1395 τὸν Λίνον τινὲς ἐτίθεσαν ἐπὶ τοῦ ὕμνου καὶ τοῦ θρήνου. Vult igitur schol. nostri loci apud Aeschylum non ad θρῆνον referri, sed ἐν τάξει ὕμνου, i. e. in hymni ordine seu ad hymni rationem poni, in qua re aperte fallitur. Nam si ad hymnum spectaret, incongruum esset εἰπέ. Hymnus enim non dicitur, sed canitur, cumque opponatur τὸ δ' εὖ νικάτω, inde concludas αἴλινον sensu adverbiali dici et idem esse ac αἶ αἶ εἰπέ. Simili modo Soph. Ai. 627 de Aiacis matre, si filii mortem audiverit: αἴλινον αἴλινον οὐδ' (scr. οὐ δ'), οἰκτρᾶς γόον ὄρνιθος ἀηδοῦς ἥσει δύσμορος, ubi explicandi istius αἴλινον causa additur ἀλλ' ὀξυτόνους μὲν ᾠδὰς θρηνήσει. Nec aliter pluralis adhibetur Callim. Hymn. in Apoll. 20 οὐδὲ Θέτις Ἀχιλῆα μινύρεται αἴλινα μήτηρ. Barbaram vocis originem testatur Eurip., dum Orest. v. 1394 seqq. Phrygem dicentem inducit: Αἴλινον αἴλινον, ἀρχὰν βάρβαροι λέγουσιν αἶ αἶ Ἀσιάδι φωνᾷ, βασιλέων ὅταν αἷμα χυθῇ κατὰ γᾶν. Transtulit vocem ad naenias Tibulli Ovid. Amor. III. carm. IX. 23 Aelinon in silvis idem pater Aelinon altis Dicitur invita concinuisse lyra. De his plura deinceps dicenda erunt. Moschus III. 1 αἰλινά μοι στοναχεῖτε νάπαι.

Ceterum a composito ὁ αἴλινος ad ὁ Λίνος et τὸ λίνον deferimur, id est ad heroa Linum, cujus ab interitu cantilena ὁ Λίνος derivabatur nec non ad τὸ λίνον, linum, cujus fila ille lyrae aut intendisse pro chordis aut rejecisse dicebatur, cum intensa reperisset, ut eorum loco chordis ex animalium visceribus fabricatis uteretur. De his igitur primum agendum.

Ac de accentu quidem vocabuli τὸ λίνον et inde derivatorum haec praecipit Schol. A ad Il. σ, 570 τὸ λίνον κατὰ βαρεῖαν τάσιν προενεκτέον, ὅτι (scr. ὅ, τι) ἂν σημαίνῃ εἴτε τὴν λινῆν ἐσθῆτα, εἴτε καὶ

ἐπὶ τῆς χορδῆς τάσσοιτο (i. e. sive de chorda dictum adhibeatur) εἴτε καὶ αὐτὸ τὸ λεπτὸν νῆμα, εἴτε σημαίνοι εἶδος ὕμνου, ὥσπερ καὶ ἐνταῦθα, ὡς Παιὰν ἢ Διθύραμβος. Haec ex Aristarchi scholio fluxisse infra videbimus, et dici contra eos, qui extremam syllabam substantivi quoque nominis acuebant, quos Photius sequitur, qui λινὸν scribit, sive linum, sive chordam vel florem vox significat, item in proverbio λινὸν λινῷ συνάπτεις. — Λινόν: κοινῶς μὲν ἄνθος· Θεόφραστος δὲ νάρκισσον· Μύρσιλος δὲ Λεσβιακοῖς εἶδος ἄνθους. — Λινόν: (add. ἡ χορδή) Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός, ἐπειδὴ οἱ παλαιοὶ λινοῖς ἀντὶ χορδῶν ἐχρῶντο· ἀλλὰ καὶ Ὅμηρος ἤδη χορδὰς ἐπιςάμενος λινὸν καλεῖ, de quo postea. — Contra Etym. M. λινόν. Τὸ λῖνος σημαίνει τὸ ἔριον· λινὸν δὲ τὸ λινοῦν ἢ τὸ λεπτὸν ὕφασμα λινὸν ἔλεγον παρὰ τὸ λίαν νῆσθαι. Derivatio futilis, sed probum videtur, quod λινὸν non nisi adjectivae formae tribuit. Eodem referendum schol. corruptum Victorianum ad Il. σ, 570 λῖνον, καὶ ἐπὶ τοῦ ἱματίου καὶ ἐπὶ τοῦ ἄσματος καὶ ἐπὶ πάντων βαρύτερος (scr. βαρυτόνως). Λινὸς igitur forma adjectiva idem est, quod λίνεος, λινοῦς, quo recentiores utuntur. Tertiam quoque formam laudant adjectivi λίναιος, quae tamen neque analogiam habet neque auctoritatem. Nam versus Nonni Dionys. XLVIII, 433, in quo occurrit

Αὐχένα λιναίῳ ὀφιώδεα τύψεν ἱμάσθλῃ

corruptus est. Dorvillius ad Charit. p. 768 optimo jure ὀφιώδεϊ scripsit quia Aurae pulcherrimae virgini collum viperinum tribui non potuit et concinne comparat v. 261 ejusdem libri

ἀμφὶ δὲ μίτρην
Παρθενικῆς ἐλέλιξεν ἐχιδνήεσσαν ἱμάσθλην

Alterum vitium in λιναίῳ tentavit quidem, non tamen sustulit. Scrib.

Αὐχένα ληνεύουσ' ὀφιώδεϊ τύψεν ἱμάσθλῃ.

Hesych. Ληνεύουσι· βακχεύουσι. Est igitur θειασμῷ concitata.

Quod in E. M. voci *λινὸν* praemittitur *τὸ λῖνον σημαίνει τὸ ἔριον*, hoc ad quaestionem spectat, num *λίνον* *lanam* quoque significet. Hesych. *λίνῳ· ἐρίῳ.* Idem *λίναια· ἔρια.* Pertinent huc loci, in quibus *λίνου* formae iota longum habere videbantur, ut Nicandri Alex. 450

Δήποτε δ' ἢ ῥοδόοιο νέον θύος εὔτριχι λίνῳ

in quo subst. *λίνῳ* ob adjectivum non nisi ad lanam spectare potest. Eodem referenda gl. Etymol. Gudiani *τὸ λῖνος λινάριον*, quamquam ea lanae et lini notiones commisceat. Haec tamen speciosa potius quam vera. Nimirum Homerus ad lanam indicandam voce *ἔριον* et metaphorice *οἰὸς ἄωτος* utitur. Juxta haec *τὸ λῆνος*, *lana*, jam Aeschyli aevo firmatum, dum Eumen. v. 44 Orestem *λήνει μεγίστῳ σωφρόνως ἐστεμμένον* exhibet, i. e. vittis decoratum maximis e lana factis. Hinc grammaticorum glossae. Photius p. 221. 10. *λῆνος: τὸ ἔριον οἱ ἀρχαῖοι.* — Hesych. *λήνεα· τὰ ἔρια.* — *λήνει· ἐρίῳ*, nec dubium quin eadem forma Nicandro reddenda sit pro *λίνῳ* et reponenda pro *τὸ λῖνος*, quod glossae E. M. supra allatae immixtum fuit. Diversum ab hoc *ὁ ληνός*, quod extat in Hymn. in Merc. v. 104 *καὶ ληνοὺς προπάροιθεν ἀριπρεπέος λειμῶνος* et Etymologicum M. a *λεαίνω* falso deducit; pertinet ad eandem radicem, ex qua lagenae, lacus, *ληναῖα* et *ληναιὼν* prognata sunt.

Mediae inter *τὸ λίνον* et *τὸ λῆνος* vel *τὸ ἔριον* i. e. inter linum et lanam sitae sunt lanugines, quae in arundinibus, in granis vel nucibus aut medullis fruticum quorundam nascuntur eoque inter *λίνου* et *ἐρίου* appellationes fluctuant i. e. in alterutrum transferuntur. Hinc arborum *lana* et granum Cnidium, quod teste Plinio H. N. XIII. c. XXI. Sect. 35 aliqui *linum* vocabant. De his, ni fallor, cogitat Sylburg. ad E. M. v. *λίνον* p. 1607 l. 37 not. 237 „*τὸ ἔριον* inquiens i. e. *τὸ λῖνον τὸ σημαῖνον τὸ ἔριον.* Intelligit autem *τὸ ἔριον* hic metaphorice eo modo quo arborum lana dicitur. Ita enim et lino (?) sui generis lana est.“

His ita expositis primum de usu vocis *λίνον* monendum. Non occurrit apud poetam, nisi substantivum *τὸ λίνον*, adjectivi *τὸ λινὸν* vel *λινοῦν* nullum vestigium. Substantivum autem de planta vel calamo nuspiam adhibuit, nisi huc referre velis Il. *ι*, 661 (*στόρεσαν λέχος*) *κώεά τε ῥῆγός τε λίνοιό τε λεπτὸν ἄωτον*, cui ἐκ *παραλλήλου* est Od. *α*, 443 *κεκαλυμμένος οἰὸς ἀώτῳ*. In aliis locis omnibus indicat res e lino factas, ut fila, retia, funes, vela, stromata, vestimenta.

Ad musices organa transferebant *τὸ λίνον* ex prisca opinione jam ab Hesiodo, ut videbimus, tradita, aevo pristino chordas e lino fabricatas citharae fuisse intensas, donec *Linus*, Uraniae filius, *νευρὰς* animalium eis substituerit.

Hanc fabulam tractandi occasionem dedit locus Homeri in descriptione clypei Achillei, qui de vindemia agit, Il. *σ*, 569:

> *τοῖσιν δ' ἐν μέσσοισι πάϊς φόρμιγγι λιγείῃ*
> *ἱμερόεν κιθάριζε· λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν*
> *λεπταλέῃ φωνῇ.*

Magnus in his explicandis grammaticorum dissensus, inter quos medius errat et anceps haeret Heynius. Quaerebatur *λίνον* ad nominativum *τὸ λίνον*, an ad *ὁ Λίνος* referendum esset, dein *καλὸν* num ad *Λίνον* vel *λίνον* pertineret, an adverbii loco pro *καλῶς ἄειδε* diceretur, porro *ὁ λίνος* si intelligendus, num de prisco heroe hujus nominis an de carmine cognomine diceretur, et si de carmine, num id ad *θρήνους*, quae est vulgata Lini significatio, spectaverit, an pro vindemiae indole et festivitate laetioris argumenti fuerit.

Eustathius p. 1164 l. 54 *τὸ δὲ λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν, ἢ ἀντὶ τοῦ τὸν καλὸν ἐκεῖνον ἥρωα Λίνον ἄειδεν, ἢ καλὸν ἀντὶ καλῶς λίνον ἄειδεν*. Schol. Ven. AB. *ἤτοι τὸ λίνον ᾖδεν, ὃ ἐξῆπτο ἀντὶ νευρᾶς τῆς*

κιθάρας, ἐπεὶ οἱ πρῶτοι τοῖς θεοῖς μετὰ ᾠδῆς ὑποκιθαρίζοντες οὐκ ἐξ ἐντέρων κατεσκεύαζον τὰς κιθάρας (scr. *τὰς χορδὰς τῆς κιθάρας*), *οὐχ ὅσιον οὐδὲ θεοῖς ἀρεστὸν εἶναι ὑπολαμβάνοντες διὰ τὸ ἐκ νεύρων πεποιῆσθαι, ἀλλ' ἐκ λίνου πεποιημένου* (scr. *πεποιημένα*). *ἢ καὶ λίνον δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδεν ἀντὶ τοῦ τὴν ἐπὶ Λίνῳ τῷ Ἀπόλλωνος παιδὶ ᾠδὴν ὄντι νηπίῳ καὶ ὑπὸ κυνῶν ποιμενικῶν διασπασθέντι πρώτην ᾀσθεῖσαν.* Quo pertineant haec mythologica infra videbimus. Ab hoc igitur *ὁ Λίνος* nomen viri statuitur, quod in carmen ab eo seu de eo factum translatum fuerit, eodem fere modo, quo *Harmodius* Aristoph. Acharn. 977 *οὐδὲ παρ' ἐμοί ποτε τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται,* ubi vid. Bergleri notam, coll. Vesp. 1227. al. Addit Schol. Vict. mansisse chordis nomen *λίνου, ὡς καὶ λίθον τὴν ἄγκυραν καλοῦσιν ἑως νῦν.* Similia Eustathius, subjecta ratione *ἐπεὶ πάλαι λίθος εἰς ἄγκυραν ἐχρημάτιζεν.* Prior explicatio, qua *λίνον* chorda esse statuitur, haud dubie falsa. Non enim „*linum*" canit, sed poeta ad sonum chordarum et hoc quidem loco *λεπταλέῃ φωνῇ* utpote puer. Non dicit autem Scholiasta, ut Heynius refert, chordas ex intestinis animalium factas *indignas* deo judicatas esse, sed non sanctum id a diis habitum, neque hoc ex suo ingenio addidit grammaticus, ut idem putat, sed ex prisca persuasione repetiit, quam Plutarchus apud Eusebium (Praepar. Evang. III. p. 290) et Pausanias (VIII. c. 17 p. 633) testantur, in rebus ad cultum pertinentibus diis puram et sanctam judicatam fuisse materiam, quae ex vegeta et florente natura deduceretur, ut in imaginibus ipsorum effingendis ligna ex arboribus eis dicatis desumta. Patet autem hanc omnem explicandi rationem nullo certo argumento niti, sed *σχεδιασμὸν* esse ex usu lini antiquo derivatum, ut haberent quo *ἀπορίαν* in poetae verbis solverent.

Nec melius ii, qui ipsam Lini personam inferunt, siquidem vulgatam de eo famam sequuntur. Nam triste illud et *θρηνῶδικὸν* quod ad eum pertinet, a vindemiae hilaritate juvenumque et virginum caterva abhorret, qui puerum canentem cum tripudiis sequuntur: *μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε ποσὶ*

σκαίροντες ἕποντο. Nihil igitur superest, nisi ut *λίνον* cantum quidem intelligamus, sed occasioni laetisque rebus congruum, nominativumque non *τὸ λίνον* sed *ὁ λίνος* statuamus, qui ab heroe ad hymnum fuerit translatus. Mira hic Zenodoti ratio Schol. *A. παρὰ Ζηνοδότῳ λίνος δ' ὑπὸ καλὸν ἄειδε,* quae et ipsa de cantu valet, sed adversam habet verbi significationem. Non enim canit lini hymnus, sed canitur aut resonat. Firma igitur vulgata explicatio *τὸν λίνον* accus. casu exhibens. Pessime autem Schol. *B. ἡ δὲ ὑπὸ περιττεύει, τάχα οὖν ᾄδειν τοῖς τρυγῶσι λέγει τὸν νέον πρὸς τέρψιν καὶ ἐπὶ κουφισμὸν τῶν πόνων.* Neque enim superfluum *ὑπὸ* neque vindemiatorum molestia, sed summa juventutis in hac opera hilaritas depingitur, quae puerum canentem sequitur. Non magis admittenda Heynii ratio, qui *ὑπὸ* ad *λίνον* revocat. Aperte enim ad saltantes pertinet, quibus *succinit* puer, ut rhythmos servent, incessui saltantium velut moderator additus. Similia Hesiodus habet in Scut. Herc. 281 *ἔνθεν δ' αὖθ' ἑτέρωθε νέοι κώμαζον ὑπ' αὐλοῦ· Τοί γε μὲν αὖ παίζοντες ὑπ' ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ... ὑπ' αὐλητῆρι δ' ἕκαςος πρόσθ' ἔκιον* et Callimachus Hymn. in Dian. 242 *στησάμενοι χορὸν εὐρύν, ὑπήεισαν δὲ λιγεῖαι Λεπταλέον σύριγγες, ἵνα πλήσσωσιν ὁμαρτῇ.* Denique *καλὸν* adverbiali sensu ad *ἄειδεν* pertinet, ut Hymn. in Merc. 499 de cithara nuper inventa *ἡ δ' ὑπὸ καλὸν Ἱμερόεν κονάβησε· θεὸς δ' ὕπο καλὸν ἄειδεν.*

Quis vero *λίνος*, quem puer cecinisse dicitur? Schol. *A: Ἀρίςαρχος εἶδος ᾠδῆς τὸν λίνον φησίν, ὡς παιᾶνα, ἢ εἴ τι τοιοῦτον* (scr. *ἤ τι τοιοῦτον*) *ἀπὸ Λίνου τοῦ ἥρωος.* Nec aliter Victorianum apographum Schol. Townlej. nisi quod vitiose *τὸ λίνον* habet et *εἰ* post *ἢ* omittit. Voces autem *τί τοιοῦτον* corruptelam esse e *διθύραμβον* ortam, monstrat Eustathii explicatio p. 1163, l. 56 *Λίνος δὲ εἶδος ᾠδῆς κατὰ Ἀρίςαρχον, ἢ ὕμνου, ὡς καὶ ὁ παιὰν καὶ ὁ διθύραμβος.*

Patet autem, haec Aristarchi observatio quo pertineat. Nimirum perspexerat vir praeclarus, agi hoc loco de carmine, neque eo lugubri

vel *θρήνῳ*, sed a maeniis diverso. Itaque statuit, linum non simplex esse carmen unius tantum argumenti, verum carminum genus, quod leges rhythmicas et musicas antiquitus traditas sequeretur. Patet hoc ex natura hymnorum, paeanum, dithyramborum, quos cum lino comparat, qui quidem omnes ad nomicam poesin, id est priscam et severis legibus adstrictam pertinent.

Jam vero si haec magni grammatici opinio fuit, quaestio subnascitur, quomodo cum iis conciliari possint, quae antiquitas omnis de indole et argumento Lini et Aelini tradidit. Quamquam enim traditio illa res diversissimas misceat, in eo tamen sibi constat, ut linum carmen lugubre exhibeat et cum violenta Lini morte conjunctum, sive Apollinis sagittae, sive Herculis juvenis iracundia, seu canum rusticorum rabies eum peremerit. Tum mortem ejus sive Musas, sive ipsum patrem Apollinem *αἶ Λίνε, αἶ Λίνε* exclamando luxisse et inde factum esse, ut *θρῆνος* ille *Αἴλινος* et abjecta exclamatione *Λίνος* diceretur. Facile patet haec quoque non solido fundamento, sed opinionum commentis eorum niti, quibus nulla religio esset ex herois nomine explicationem fingere, et ex hac in carmen de eo compositum transire. Nec sane Euripides poetam agit, sed quod verum est commemorat, dum in Orestis loco supra laudato Phrygem inducit, qui *αἴλινον* vocem barbaram praedicat et cum Graecorum *αἶ αἶ* componit.

De his autem ut rite judicari possit, primum videndi sunt poetarum versus, qui de Lino agunt, et antiquitate et auctoritate conspicui.

Principem locum Hesiodei obtinent, ex genealogiis heroicis, ni fallor, desumpti, quos Eustath. ad Il. p. 1163 l. 60 et Schol. ad Il. σ, 570 tam Veneta quam Victoriana afferunt. (Fragm. I. ap. Gaesf.)

Οὐρανίη δ' ἄρ' ἔτικτε Λίνον πολυήρατον υἱὸν
ὃν δὴ ὅσοι βροτοί εἰσιν ἀοιδοὶ καὶ κιθαρισταὶ
πάντες μὲν θρηνοῦσιν ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε.

Apograph. Victor. vitiose *οὐρανίῳ δ' ἔτικτε . . . ὃν ὁπόσοι βροτοί εἰσιν* (cum rasura in fine) *θίδαι καὶ . . . ἐν εἰλαπίναις τε χοροῖς τε,* unde tamen sincera lectio *ἐν εἰλαπίνῃς τε χοροῖς τε* emergit. Locus aperte lacunosus, quia neque dicitur Linus quid praestiterit laude dignum, nec quare eum luxerint. Si conferas Clementem Alexandrinum p. 281 A ed. Sylburg. *Ἡσίοδος γὰρ τὸν κιθαριστὴν Λίνον παντοίας σοφίας δεδαηκότα εἰπὼν καὶ ναύτην οὐκ ὀκνεῖ λέγειν σοφὸν οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένον γράφων,* Hesiodo inde duos versus facili opera vindicabis post primum fragmenti ponendos,

παντοίης σοφίης δεδαηκότα καὶ κιθαριστήν,
οὔτε τι ναυτιλίης σεσοφισμένον ὕστερον ἄλλου.

Sequitur fragmentum, quod Eustathius Epigrammatis loco habet ad Il. 1163, 56. *Φιλόχορος δὲ ὑπ' Ἀπόλλωνος ἀναιρεθῆναι τὸν Λίνον φησί, διότι πρῶτος τὸν λίνον χορδῇ ἐχρήσατο εἰς μουσικῆς ὄργανον,* (corrigenda haec ex Victorianis, quae subjicimus *τὸ λινὸν καταλύσας χορδαῖς . . . ἐχρήσατο εἰς μουσικῆς τὰ ὄργανα*) *εἰς ὃν καὶ ἐπίγραμμά ἐστι τοιοῦτον· ὦ Λίνε πάντα θεοῖσι τετιμένε, σοὶ γὰρ ἔδωκαν Ἀθάνατοι πρώτῳ μέλος ἀνθρώποισιν ἀείδειν ἐν ποδὶ δεξιτέρῳ· Μοῦσαι δέ σε θρήνεον αὐταὶ μυρόμεναι μολπῇσιν, ἐπεὶ λίπες ἡλίου αὐγάς.*

Accuratiora habet Victor. apogr. Schol. Townl. *ἡ δὲ περὶ τὸν Λίνον ἱστορία καὶ παρὰ Φιλοχόρῳ ἐν τῇ ιθ* (nempe *Ἀτθίδος*) *καὶ παρὰ Μελανιππίδῃ* (is ni fallor in Dithyrambis de eo egerat) *ἥ τε καλουμένη Σφαῖρα ποίημά ἐστι εἰς τὸν Λίνον, ἀναφέρεται δὲ εἰς Ὀρφέα. Ὁ δὲ* (ita enim Victor. continuat) *Φιλόχορος ὑπ' Ἀπόλλωνος φησὶν αὐτὸν ἀναιρεθῆναι ὅτι τὸν λίνον καταλύσας πρῶτος χορδαῖς ἐχρήσατο εἰς τὰ ὄργανα. Φασὶ δ' αὐτὸν ἐν Θήβαις ταφῆναι καὶ τιμᾶσθαι ὑπὸ ποιητῶν ἐν θρηνώδεσιν ἀπαρχαῖς. ἐπιγαφή ἐστιν ἐν Θήβαις· ὦ Λίνε πᾶσι θεοῖσι . . . πρῶτος . . . ἠελίου αὐγάς.* Recte hic *πᾶσι* et *ἠελίου*, nam *ἡλίου*, i. e. forma recentior ad aetatem, aut si mavis ad

dictionem, quam hi versus referunt, non quadrat. Scrib. igitur *ἠελίου φῶς*. Idem carmen appellat *ἐπιγραφὴν ἐν Θήβαις*, i. e. Thebis monumento publico, haud dubie *ἡρῴῳ* Lini, inscriptum eoque vere *λίνον* vel *αἴλινον*.

In his quoque plura intercidisse tum verba docent *ἐν ποδὶ δεξιτέρῳ*, quibus frustra sensum inferre studuerunt interpretes, tum Schol. Ven. A. qui haec *ἐν συγκοπῇ* refert additis tamen novis quibusdam: *ἐθρηνεῖτο γὰρ οὗτος παρὰ τῶν Μουσῶν οὕτως: ὦ Λίνε, θεοῖς τετιμένε* (sic leg.). *σοὶ γὰρ πρώτῳ μέλος ἔδωκαν ἀθάνατοι ἀνθρώποισιν φωναῖς λιγυραῖς ἀεῖσαι· Φοῖβος δέ σε κότῳ ἀναιρεῖ, Μοῦσαι δέ σε θρηνέουσιν.* Postrema cum versiculos putaret Bergkius (Poett. Lyr. p. 878), totum fragmentum aperte heroicum ita discerpsit, ut cantilenam popularem inde efficeret. Illud recte concluditur caedem a Phoebo in poeta commissam ad argumentum illius carminis pertinuisse. Hoc si factum est, dextri pedis mentionem ad rationem ejus mortis pertinuisse sequitur. Dixerat nempe poeta sagittam a deo emissam in dextro juvenis pede haesisse. Jam si in poetarum laciniis consarcinandis ludere datur, carmen istud, quod verum *Λίνον* seu *λινῳδίαν* habens, hoc fere modo refingi poterit:

Ὦ Λίνε πᾶσι θεοῖσι τετιμένε. σοὶ γὰρ ἔδωκαν
Ἀθάνατοι πρώτῳ μέλος ἀνθρώποισιν ἀεῖσαι
Καλόν· καὶ γὰρ ἄφωνον ἀποστέρξας κιθάρισμα
Ἀντὶ λίνου φωνῆσι λύρην λιγυρῇσ' ἐτάνυσσας,
Ἀλλὰ κοτεσσάμενος μέλεων ὕπερ Ἀργυρότοξος
Κτεῖνε, βέλος χρυσέον προϊείς· τὸ δ' ἔτειρε πεπηγὸς
Ἐν ποδὶ δεξιτέρῳ. Μοῦσαι δέ σ' ἐθρήνεον αὐταὶ
Μυρόμεναι μολπῇσιν ἐπεὶ λίπες ἠελίου φῶς.

Tertium superest, idque re vera *ἐπίγραμμα*, nempe *ἐπικήδειον*, quod et ipsum Thebis extitisse crediderim, servatum apud Scholiastam Town-

lejanum ad Il. l. l. qui verbis postremis praecedentis carminis *ἠέλιον* haec subjungit: *ἄλλως.* *κρύπτω τὸν θεὸν ἄνδρα Λίνον Μουσῶν θεράποντα τὸν πολυθρήνητον λίνον αἴλινον ἠδὲ πατρῷα φοιβέοις* (sed ε in ι mutatum ab eadem manu) *βελέεσσι γῆ κατέχει φθίμενον.* Videntur hic duo epitaphia conflata et prioris initium tantum superesse, cui versus idem fere, qui alteri, subjectus fuerit. Scribendum:

κρύπτω τὸν σοφὸν ἄνδρα Λίνον Μουσῶν θεράποντα
Φοιβείοις βέλεσιν λυγρὰ καταφθίμενον.

Tumulus est, qui loquens inducitur et *σοφὸν* Linum dixit, ut Hesiodus *σεσοφισμένον*.

Alterum integrum est:

τὸν πολυθρήνητον Λίνον αἶ Λίνον ἠδὲ πατρῷα
Φοιβείοις βέλεσιν γῆ κατέχει φθίμενον.

Tertium suppeditat Diog. Laertius in Prooem. n. 3 praemissis verbis: *τὸν δὲ Λίνον τελευτῆσαι ἐν Εὐβοίᾳ, τοξευθέντα ὑπὸ Ἀπόλλωνος καὶ αὐτῷ ἐπιγεγράφθαι.* *Ὧδε* (scr. *ἠδε*) *Λίνον Θηβαῖον ἐδέξατο γαῖα θανόντα Μούσης Οὐρανίης υἱὸν ἐϋστέφανον.* Jam vero quaeri poterit, quid moverit Aristarchum, ut in tanto veterum poetarum consensu *λίνου* significationem ultra *θρήνους* extenderet et diversi generis argumenta, quamquam similia et eodem rhythmi et musices *νόμῳ* tractata, in eo ut in Paeane, Hymno, Dithyrambo conclusa judicaret. Num statuere licet, ejus tempore extitisse nomicae hujus poeseos monumenta, quibus id probaretur? Non credo, hanc enim rem principalem haud dubie disertis verbis testatus fuisset, nec alius extitit, qui tale quid contenderet. Nam quae ab aliis ad istum Homeri locum in hac re afferuntur, ea merae sunt Aristarchi sententiae repetitiones et variationes. Nihil igitur veteres grammatici videntur ante oculos habuisse, quam Homeri versus, quibus sententiam de ancipiti Lini argumento super-

struerent, et levia quaedam, quae ex antiquioribus poetis addi poterant. Adhiberi in eam rem potuit fama de carmine in Linum facto, quod *Sphaeram* dicebant et ad Orpheum referebant. Eustath. l. l. lin. 56 *φασὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ ποιημάτιόν τε ἐπὶ τῷ Λίνῳ εἶναι, ὃ σφαῖρα μὲν καλεῖται, εἰς Ὀρφέα δὲ ἀναφέρεται.* Schol. Ven. A *ἡ δὲ καλουμένη σφαῖρα ποίημά ἐστιν εἰς τὸν Λίνον, ἀναφέρεται δὲ εἰς Ὀρφέα,* idque haud dubie ad astronomiam pertinuit, quippe quod in Lini nomen transferebant, Uraniae ut quibusdam videbatur filii.

Non sane hujusmodi poetarum commenta aetatem Pisistratidarum superant, in qua plurima originem habuerunt, quae Orphei, Musaei, Lini, Bacidis nomen prae se ferebant, monstrant tamen, jam illo aevo carmen in Linum (*ἐπὶ τῷ Λίνῳ, εἰς τὸν Λίνον*) extitisse a *θρήνων* indole alienum.

Porro Epicharmi nomine utebantur, ut non in solo luctu Linum carmen versatum esse efficerent, velut Athenaeum sequutus Eustathius l. l. p. 1164, l. 10: *ἡ τε τοῦ Ἐπιχάρμου χρῆσις ἐθέλουσα τὴν αἴλινον ᾠδὴν ἐριουργούντων εἶναι, οὐ τὸν Λίνον, τὰ κύριον, ἐπικεῖσθαι τῷ αἰλίνῳ βούλεται, ἀλλὰ τὰ λίνον.*

Agitur de opera *ἐριουργούντων*, nimirum *λινουργούντων*, quia postrema verba monstrant linum esse, in quo vel nendo vel texendo occupatae mulieres cantilenam canant; at tamen non patet, quo illa nomine diceretur. Si *λινῳδία* erat, sane id non ad *τὸν Λίνον*, sed ad *τὸ λίνον* quod manibus tractabant, pertinuisse credas, quamquam et apud Thebanos carmina in Linum facta *λινῳδίας* dicta fuisse auctor est Schol. A ad l. l. Iliad. *φασὶ δὲ αὐτὸν ἐν Θήβαις ταφῆναι καὶ τιμηθῆναι θρηνώδεσιν ᾠδαῖς, ἃς λινῳδίας ἐκάλεσαν.* Ex his igitur nihil aliud sequitur, nisi *ἐν ἐριουργίᾳ* carmen viguisse quod a lino nomen habuerit. Nam ipsum carmen linum, *τὸ λίνον*, dictum fuisse nemo contenderit; id enim non minus

absonum esset, quam si carmen in lanificio cantatum *lana* *λῆνος* dictum fuisset. Ceterum nota res, Graecas mulieres non tam in *lino* quam in *lana* tractanda fuisse occupatas et lini usum, ex Aegypto in Graeciam translatum, non nisi recentiori post Alexandrum aevo vulgo receptum fuisse; quamquam antiquioribus non prorsus fuerit incognitus. Hinc omnis illa de lino *ἐν ἐριουργίᾳ* fama confusione utriusque vocis *λίνος* et *λῆνος* orta videtur, Siculaeque Epicharmi non *λινῳδίας*, sed *ληνῳδίας* cecinere.

Denique ad Euripidem provocat Athenaeus XIV, p. 619 B fin. *ἐν δὲ γάμοις ὑμέναιος, ἐν δὲ πένθεσιν ἰάλεμος. λίνος δὲ καὶ αἴλινος οὐ μόνον ἐν πένθεσιν, ἀλλὰ καὶ ἐπ' εὐτυχεῖ μολπᾷ κατὰ τὸν Εὐριπίδην.* Eadem alii. At vero eos omnes fefellit, quod *αἴλινος* hic non dicitur in fausta fortuna cani, sed succini cantui, qui ad faustam fortunam spectaret. Euripidis locus est Hercul. fur. v. 348 seqq.:

Αἴλινον μὲν ἐπ' εὐτυχεῖ
μολπᾷ Φοῖβος ἰαχεῖ,
τὰν καλλίφθογγον κιθάραν
ἐλαύνων πλήκτρῳ χρυσέῳ,
ἐγὼ δὲ τὸν γᾶς ἐνέρων τ' ἐς ὄρφναν
μολόντα, παῖδ' εἴτε Διός νιν εἴπω
εἴτ' Ἀμφιτρύωνος ἶνιν,
ὑμνῆσαι, στεφάνωμα μόχθων,
δι' εὐλογίας θέλω.

Canuntur haec in maxima rerum desperatione. Megara enim hoc tantum a Lyco consequuta est, ut liberos Herculis a patre derelictos funebri cultu prius exornaret, quam cultro mactandi traderentur. Erat igitur summa necessitas *αἴλινον αἴλινον* inchoandi. Non tamen hoc facit chorus, sed Herculis, quem defunctum putat, labores cantu suo decorandos suscipit, hocque studium suum cum Apollinis ratione comparat, qui

αἴλινον ἐπ' εὐτυχεῖ μολπῇ succinat vel succinerit. Num hoc in universum de Phoebi κιθαρῳδίᾳ dicatur, an ad νόμον quendam κιθαρῳδῶν pertineat, equidem non dijudicaverim. Posterius magis probabile et idem fieri videmus in Aeschyleo de quo agimus carmine, quod ὄρθιον, ut puto, νόμον sequitur et laetis, quae praecedunt, lugubria αἴλινον, αἴλινον ἐπ' εὐτυχεῖ μολπῇ subjungit, quia illis triste aliquid immixtum est. Haec si admiseris, sensus loci ceteroquin absconditus aperitur. Dicit enim chorus, se luctuosis, quae antea cecinerat, jam gloriosa de Hercule subjecturum Phoebique sequuturum exemplum, qui lugubria faustis admiscuerit. Ex his igitur σοχασμοῖς Lini species, ᾠδῆς εἶδος prodiret; quod a luctu, propter interemptum Linum ad ejus gloriam faustamque reliquae vitae sortem vel perennem post obitum gloriam celebrandam evagaretur.

V.

De vinculo, quo *Λίνος, Ἄδωνις, Μανέρως, Ὄσιρις, Μέμνων, Ὑάκινθος* inter se nexi sunt.

Hoc ut ulterius persequamur et lucem obscurissimae materiae offundamus, redeundum erit ad cultum, qui inter Graecos Lino dicatus fuit ejusque cum Phoenicum et Aegyptiorum religionibus nexum, de quo jam ante quadraginta fere annos (1816) egi, cum epochas plasticae Graecorum artis definire studerem (die Epochen der bildenden Kunst bei den Griechen p. 8 ed. sec.).

Constans apud Graecos fama Linum cum Apolline et Musis conjungit eumque post immaturam mortem non θρήνοις modo decoratum, sed etiam cultu heroico adornatum refert.

Locus hujus cultus praecipuus Thebis erat, ubi, ut vidimus, sepultus perhibebatur et cum Musarum sacris conjunctus in Helicone teste Pausan. IX, c. 29, p. 766. Illic *Εὐφήμης* imago, matris Musarum et Lini post eam; *τούτῳ κατὰ ἔτος πρὸ τῆς θυσίας τῶν Μουσῶν ἐναγίζουσι*, ut par erat Uraniae aut Calliopis filio et Musices inter homines auctori. Num vero et indigenae inter Graecas gentes? Diod. III. p. 140 §. 66 refert Linum *Κάδμου κομίσαντος ἐκ Φοινίκης τὰ καλούμενα* (add. *φοινίκεια*) *γράμματα πρῶτον εἰς τὴν Ἑλληνικὴν μεταθεῖναι διάλεκτον κ. τ. λ.* Inde nexus conspicuus inter Linum atque Cadmeam Thebarum originem fidemque nanciscuntur, qui Lini, sive carminis sive herois, originem Phoenicibus tribuunt. Principem inter eos locum tenet Herodotus. Is enim II, 79 Linum in Phoenice, Cypro et alibi carminibus celebrari refert: *Λίνος, ὅσπερ ἔν τε Φοινίκῃ ἀοίδιμός ἐστι καὶ ἐν Κύπρῳ καὶ ἄλλῃ, κατὰ μέντοι ἔθνεα οὔνομα ἔχει*, i. e. pro gentium diversitate nomen diversum habet; unde conjicias, cultum et ceremonias ad Linum pertinentes e Phoenice ut in Cyprum ita in Boeotiam et Euboeam, inde vero in alias Graeciae regiones venisse. Notandum praeterea Herodoto apud Aegyptios famam de juvene immatura morte peremto et de carminibus, quibus eum celebrabant, innotuisse, quibus ipsi persuaderetur, Lini memoriam e Phoenice in Aegyptum quoque fuisse propagatam, quamquam ne conjiciendo quidem erui possit, hoc quomodo factum fuerit aut fieri potuerit. Res ad convivia locupletiorum pertinebat, quibus finitis simulacrum mortui ex ligno factum circum ferebatur, additis a ministro verbis: *ἐς τοῦτον ὁρέων πῖνέ τε καὶ τέρπευ. ἔσεαι γὰρ ἀποθανὼν τοιοῦτος.* His subjungit: *ταῦτα μὲν παρὰ τὰ συμπόσια ποιεῦσι, πατρίοισι δὲ χρεώμενοι νόμοισι ἄλλον οὐδένα ἐπικτέωνται. τοῖσιν ἄλλα τε ἐπάξιά ἐστι νόμιμα καὶ δὴ καὶ ἄεισμα ἕν ἐστι Λίνος*, et quae supra ex eo attulimus. Addit deinde: *συμφέρεται δὲ ὡυτὸς εἶναι τὸν οἱ Ἕλληνες Λίνον οὐνομάζοντες ἀείδουσι, ὥστε πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα ἀποθωυμάζειν με τῶν περὶ Αἴγυπτον ἐόντων, ἐν δὲ δὴ καὶ τὸν Λίνον ὁκόθεν ἔλαβον. Φαίνονται δὲ αἰεί κοτε τοῦτον ἀείδοντες. ἔστι δὲ Αἰγυπτιστὶ ὁ Λίνος καλεύ-*

μενος Μανέρως. ἔφασαν δέ μιν Αἰγυπτιοὶ (scr. *Αἰγύπτιοι*) *τοῦ πρώτου βασιλεύσαντος Αἰγύπτου παῖδα μουνογενέα γενέσθαι, ἀποθανόντα δ᾽ αὐτὸν ἄνωρον θρήνοισιν ὑπ᾽ Αἰγυπτίων τιμηθῆναι καὶ ἀοιδήν τε ταύτην πρώτην καὶ μούνην σφίσι γενέσθαι.* (ni fallor in Linum vel de Lino).

Ex his apparet, ex cantu ipso, qui apud Graecos Linus, apud Aegyptios Maneros dicebatur, conjecisse Herodotum, eosdem esse Manerotem atque Linum. Haec autem sive similitudo sive congruentia, quae tam in argumento carminum, quam in *μελῳδίᾳ* videtur extitisse, caussam haud dubie praebuit, quare nullo alio rerum traditarum adminiculo innixus vir ceteroquin cautissimus talem sententiam enunciare auderet.

Primus autem Aegyptiorum rex omnium consensu *Menes* vel *Manes* erat, unde Jablonskius in Voc. Aegypt. v. *Μανέρως* jure concludit Manerota esse Man-chrot i. e. Manis sobolem vel filium. Haec igitur fama ex ultima Aegyptiorum antiquitate manaverat, nec abhorret ab ea, quae Hesychius v. *Μανέρως* refert: *τοῦτόν φασιν Αἰγύπτιον* (scr. *Αἰγύπτιοι*) *ὁμολογῆσαι* (scr. *θεολογῆσαι* Jablonsk.) *πρῶτον παρὰ Μαγῶν* (*Μουσῶν* idem) *διδαχθέντα καὶ διὰ τοῦτο πᾶσιν ἀνὰ ϛόμα γενέσθαι.*

Ab ista vero traditione desciverunt Aegyptii Plutarchi aetate, qua omnis fere de priscis eorum deis fama in fabulas de Iside et Osiride coagulata videtur. Is enim de Is. et Os. p. 357 D (ed. Wyttenb. T. II, p. 465) Manerota filium regis Bybli facit, adspectu Isidis territum enecatumque, *ἔχειν δὲ τιμὰς διὰ τὸν θεόν. ὃν γὰρ ᾄδουσιν Αἰγύπτιοι παρὰ τὰ συμπόσια Μανέρωτα, τοῦτον εἶναι.* Itaque Plutarchus, quamquam in diversa omnia digressus in eo tamen Herodoto opitulatur, quod Manerota, quem Linum et Byblinum habet, et ipse Phoeniciae vindicet. Ceterum manserant veteris traditionis vestigia, siquidem addit: *τὸν δὲ ᾀδόμενον Μανέρωτα πρῶτον εὑρεῖν τὴν μουσικὴν ἱϛοροῦσιν.*

Notatu dignum autem, quod ibidem de nomine docemur: *ἔνιοι δέ φασιν, ὄνομα μὲν οὐδενὸς εἶναι, διάλεκτον* (dictionem) *δὲ πίνουσιν ἀνθρώποις καὶ θαλειάζουσιν πρέπουσαν. αἴσιμα τὰ τοιαῦτα παρείη. Τούτῳ γὰρ τῷ Μανέρωτι φραζόμενον ἀναφωνεῖν ἑκάστοτε τοὺς Αἰγυπτίους, ὥσπερ ἀμέλει καὶ τὸ δεικνύμενον αὐτοῖς εἴδωλον ἀνθρώπου τεθνηκότος ἐν κιβωτίῳ περιφερόμενον οὐκ ἔστιν ὑπόμνημα τοῦ περὶ Ὀσίριδος πάθους, ἤ τινες ὑπολαμβάνουσιν, ἀλλ' οἰομένους παρακαλεῖν αὐτοὺς χρῆσθαι τοῖς παροῦσι καὶ ἀπολαύειν, ὡς πάντας αὐτίκα μάλα τοιούτους ἐσομένους, οὐ χάριν ἐπὶ κῶμον εἰσάγουσιν.* Posteriora cum Herodoto conveniunt, priora satis corrupta sunt, et hoc fere, ni fallor, modo refingenda: *αἴσιμα τάδε σοι πάντα παρείη φραζομένην. τοῦτο γὰρ τὸν Μανέρωτα ἀναφωνεῖν ἑκάστοτε τοῖς Αἰγυπτίοις, ὥσπερ ...* Apertum enim est, distingui inter Manerota et imaginem mortui, illumque cantum esse ejus, quod indicatur, argumenti, nec aliud quid *τὸν ἐν κιβωτίῳ περιφερόμενον* significare.

Ipsa de Osiride atque Iside fabula, quam Plutarchus Maneroti admiscuit, eodem fundamento nititur, et cum hoc si comparatur exculta magis atque integra ad nos pervenit, utrique enim deo genitus inest, immatura morte absumtus et *θρήνοις* decoratus. Non igitur mirum quod imago mortui in convivio circumferri solita et Manerotis et Osiridis haberetur; nec diversa, quae de Memnone referuntur, Aurorae filio, quem Aethiopem sciebat fuisse Pausanias (Phocic. c. 31 p. 875), Asiae universae victorem. Nam hic quoque in aetatis flore occidit, continuis matris lacrimis et cultu heroico apud multas Asiae gentes decoratus.

Jam ut ad Phoenices redeamus, a quibus Lini cultus in Graeciam est illatus, ante omnia animadvertendum est, apud illos Linum non fuisse personae nomen, sed cantus speciem, quae opinio inde a Gerh. Vossio (de arte Poet. c. 13, sect. 3) a plerisque recepta est, derivatum a subst. *lin* (לִין) *ejulatus* vel *θρῆνος* et cantui, ad quem pertineret, congruum.

De cultu autem, cujus apud Phoenices Linus ille seu *Θρῆνος* pars fuerit, dubius non haerebis, si *Adonim* et *Adonia* in memoriam revocaveris.

Non nostrum est fabulam de Adonide a Venere amato retractare et ad pristinam apud Phoenices religionem revocare, qua *Astaroth* i. e. Aphrodite lunam, *Adon* vel Adonis solem referebat. Omnia enim, quae huc pertinent, a viris praeclaris, quorum principem Fridericum Creuzerum judico, et ab hoc quidem Symbolices in T. II, p. 87 seqq. pertractata sunt. Nec rationem hujus fabulae persequi volo, qua Adonis Phoenicum, Osiris Aegyptiorum in imaginem occidentis et redeuntis Anni conversi fuerint. Fluxere inde narrationes de immatura Adonidis morte Venerisque de juvene dilectissimo luctus muliercularum *Ἀδωνιαζουσῶν* querelae, quarum unam *αἶ αἶ Ἄδωνιν* vociferantem commemorat Aristophanes Lysistr. v. 343, porro de ejusdem cum veris adventu in vitam reditu, et novi amoris inter ipsum atquo Venerem consortio. Inde duplex Adoniorum ingenium, quorum prior dies luctui, alter vero laetitiae fuit dicatus, quod idem in Osiridis cultu locum habuisse scimus. Placuit ille de Adonide mythus Graecis quoque gentibus, Argivis, Atheniensibus, aliis, ad quas cum e Phoenice allatus esset, inde in Aegyptum harum religionum fontem rediit et Alexandriae sedem habuit praecipuam. Ad Linum ut revertamur, Pausanias l. l. memorat, Pamphum, qui Atheniensibus vetustissimos hymnos fecerit, *ἀκμάζοντος ἐπὶ τῷ Λίνῳ τοῦ πένθους* eum *Οἰτόλινον* nominasse. Idem haud dubie *Οἰτόλινος* qui *Αἴλινος*, nec immerito putat *Anastasius Gennadius*, juvenis ornatissimus Atheniensis, nomini huic *οἶτος Λίνου* i. e. *Θρῆνος Λίνου* vel *ἐπὶ τῷ Λίνῳ* inesse. Pergit Pausanias: *Σαπφὼ δὲ ἡ Λεσβία τοῦ Οἰτολίνου τὸ ὄνομα ἐξ ἐπῶν τῶν Πάμφω μαθοῦσα Ἄδωνιν ὁμοῦ καὶ Οἰτόλινον ᾖσε.* Inde sequitur, summae poetriae persuasum fuisse de interno inter Adonim et Linum nexu, quem *Θρήνων* ille concentus *αἶ αἶ Ἄδωνιν, αἶ αἶ Λίνον* vociferantium muliercularum non minus, quam interna fabulae convenientia aperit. Hoc si ita se habuit, apertum est, quid de diversa specie judicandum sit, quam

mythus inter Graecos induit. Non enim ubique integer ad exteras gentes perlatus est, sed pro earum indole immutatus et aliis fabulis temperatus. Ita fieri debuit, ut, cum Linus qui *θρῆνος* erat, in herois nomen transiret, in hunc ipsum fabula de Adonide aut integra aut ex parte transferretur et uterque, dei filius, in media aetate peremptus luctu perenni dignus haberetur. Qui vero Adonim ab apro, Linum a canibus agrestibus interfectum perhibent, idem dicunt, nec minus qui Lini mortem ad Apollinem vel ad Herculem referunt, quia uterque deus in priscis fabulis *χοραγὸς ἄστρων* habebatur, cujus efficacia annus perit et renascitur. Ex eodem fonte manasse crediderim fabulas de Hyacintho ab Apolline interempto et *θρήνοις* decorato, nec diversus sequioris aevi cultus Mithrae, qui immixtis Persarum fabulis anni decursus et proventus congrua symbolorum varietate illustrat. Propius ad vetustam fabulae famam accedebant, qui Adonidis nomen ejusque cum Venere commercium retinerent, unde factum, ut si Thebis Linus, Athenis et postremum Alexandriae Adonis celebraretur, illic pars tantummodo priscae memoriae, hic autem integer mythus de Adonidis obitu et in vitam reditu appareret. Haec ut clarius intelligantur, juvabit de Adoniorum descriptione, quam Theocrito debemus (Idyll. XV) et de hortis Adonidis subjungere nonnulla, quae omnis illius religionis indolem et formam genuinam accuratius explicent. Manserat autem moris Aegyptii, in cultu Manerotis et Osiridis conspicui, apud Graecos haec quoque pars, quamquam mutata specie, ut Adoniorum priore die imago mortui, ipsum Adonin exhibens, inter planctus mulierculárum circumferretur. Plutarch. vit. Alcib. c. 18: *Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας ἐκείνας* (nempe expeditionis Siculae) *καθηκόντων, εἴδωλα πολλαχοῦ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια προὔκειντο ταῖς γυναιξὶ καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι καὶ θρήνους ᾖδον.* Talem imaginem Arsinoe quoque Aegypti regina exornandam curaverat, sed non mortui, verum in lectulo recubantis et somno tantum sopiti, a quo liberatus Veneris consortio redderetur v. 84:

αὐτὸς δ' ὡς θαητὸς ἐπ' ἀργυρέῳ κατάκειται
κλισμῷ, πρᾶτον ἴουλον ἀπὸ κροτάφων καταβάλλων,
ὁ τριφίλατος Ἄδωνις, ὃ κήν Ἀχέροντι φιλεῖται.

Igitur ex Orco jam redux, ut Argiva canit v. 103

οἷόν τοι τὸν Ἄδωνιν ἀπ' ἀενάω Ἀχέροντος
μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακαίποδες ἄγαγον Ὧραι —

ad quae Schol. *τινὲς δὲ ἑξαμήνου φασὶν ἀνέρχεσθαι τὸν Ἄδωνιν ἐκ τοῦ Ἅδου.* Haec igitur sunt manifesta documenta, ne istis quidem temporibus naturam mythi prorsus obliteratam fuisse Adoninque nihil fuisse, nisi anni pereuntis et redeuntis vices, deorum personis et passionibus assimilatas. Hinc apertum, horti Adonidis quid sibi velint, de quibus post multos viros doctos nuper etiam collega conjunctissimus Raoul-Rochette erudite et eleganter, ut solet, egit (Revue Archéologique VII année Par. 1851). Simplices fuisse docet Schol. Theocr. l. l. ad v. 112: *Εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυροὺς καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι προαστείοις* (scr. *ὀστρακέοις* scil. *ἀγγείοις*) *καὶ τοὺς φυτευθέντας τότε* (fort. *τῷ τρόπῳ τούτῳ*) *κήπους Ἀδωνίους προσαγορεύειν.* Hordeo et tritico addit Hesych. (v. *Ἀδώνιδος κῆποι*) *μάραθρον* (foeniculum, Fenchel) et *θρίδακα* (lactucam, Lattich). Haec cum nimis tenuia viderentur, augere studuerunt hortos aliis ornamentis, Frider. Creuzerus *anemonen* addendo, contradicente doctissimo Franco-gallo l. l. p. 14 n. 2. Ipse Raoul-Rochette *melones, mala* atque *pira* eis tribuit, inductus versu Praxillae quae cecinerat, Adonidi in deliciis fuisse diversa coeli lumina *ἠδὲ καὶ ὡραίους σικύους καὶ μῆλα καὶ ὄγχνας.* Hanc opinionem firmare videtur quod Hesych. l. l. foeniculo et lactucae in huiusmodi hortis *omnis generis fruges* adjungit: *Ἐν τοῖς Ἀδωνίοις εἴδωλα ἐξάγουσιν καὶ κήπους ἐπ' ὀστράκων καὶ παντοδαπὴν ὀπώραν, οἷον ἐκ μαράθρων καὶ θριδάκων παρασκευάζουσιν αὐτῷ τοὺς κήπους.* Sed non procedit oratio et *οἷον* monstrat necti quae non cohaerent. Foeniculum tamen et lactucam his hortis Suidas quoque vindicat v. *Ἀδώνιδος κῆποι. ἐκ θριδάκων καὶ μαράθρων,*

ἅπερ κατέσπειραν ἐν ὀστράκοις et apud Hesychium ad *οἷον* alia incipit glossa de his hortis. Nec quidquam praeter legumina haec et triticum atque hordeum videtur in Adonidis hortis satum fuisse. Sata celeriter proveniebant, celeriter evanescebant servataque est in his prisci aevi simplicitas religionibus congrua et ad eorum sensum indicandum sufficiens. Frumenta enim et legumina sunt, quae ex anni proventibus ad vitam humanam sustentandam prae ceteris conferunt eoque ejus efficaciae insignia (*σύμβολα*) haberi poterant. Hanc caussam puto quare, incorrupto prisco more, hortis Adonidis efficiendis etiam tum inserviebant, cum ejus significationis memoria obliterata esset. At vero praeter hortorum illorum simplicitatem et alia ad Adoniorum ornatum accedebant, quae Theocritus praeter hortos recenset. Hos ipsos simpliciter nominat v. 113: *πὰρ δ' ἁπαλοὶ κᾶποι, πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις ἀργυρέοις.* Praecedunt fruges, quas *πᾶσαν ὀπώραν* Hesychius appellat: *πὰρ μέν οἱ ὥρια κεῖται, ὅσα δρυὸς ἄκρα φέρονται,* ubi *δρῦς* sensu latiore de omni arbore frugifera intelligendum, porro pretiosa unguenta: *Συρίω δὲ μύρω χρύσει' ἀλάβαστρα* i. e. alabastrides deauratae, unguentis plena, nec non v. 115: *εἴδατά τ'* i. e. *φανητὰ ὅσσα γυναῖκες ἐπὶ πλαθάνῳ πονέονται,* floribus, farina melle atque oleo permixtis et in omnigenas animalium species efformatis, denique v. 119: *χλωραὶ δὲ σκιάδες, μαλακῷ βρίθοισαι ἀνήθῳ δέδμανθ'· οἱ δέ τε κῶροι ὑπερποτέονται Ἔρωτες* et quae praeterea decora ex ebeno, ebore et auro facta cum tapetibus pictis commemorantur. Hic igitur Adoniis, qualia regina paraverat, cultus praeter hortos accedebat neque dubium esse potest, quin eodem spectaret, quo horti, annique proventus ultra horum simplicitatem uberius et splendidius exhibitos ostenderet.

Ceterum Lini quoque cultum prisca aetate non luctui solum, sed etiam laetitiae materiam et occasionem dedisse, et cantus inde hilares natos esse tam ex mythi natura, quam ex Homeri loco concludi potest, qui Linum hymnum laetae festivitatis plenum vindemiaeque comitem

exhibet. Quodsi autem Lino Adonis subest, id est Anni fructibus abundantis imago, non mirum erit alteram illam ejus cultus partem hilarem et festivam cum vindemia jungi, Linumque in eis tanquam laetitiae dolorem fuisse celebratum. Igitur vero congrua videtur Grammaticorum Alexandrinorum persuasio, Linum et lugubris et laeti fuisse argumenti, siquidem pro diversi ejus cultus indole modo herois interitum, modo ejus in vitam reditum et efficaciam persequi debebat. Nec mirum, quod *λίνου* i. e. *θρήνου* nomen ad utramque speciem indicandam adhibebatur. Factum hoc idem in elegis (*ἐν τοῖς ἐλέγοις*). Non enim dubitari potest, quin ejus rhythmi species in prima inventae elegiae aetate luctui soli inservierint, mox vero iisdem numeris argumenta diversissima aptata fuerint, manente elegorum, *ἐλεγείας* et *ἐλεγείων* nomine, quo omnia ista genera, gnomica, politica, bellica, amatoria continebantur.

VI.

De loco Aeschyli, qui huic disputationi occasionem dedit.

His absolutis *κρίσιν* et *ἐπεξήγησιν* loci subjungemus, qui disputationi de Lino materiam praebuit.

Agamemn. v. 104:

Κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν
ἐκτελέων. ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει
πειθὼ μολπάν,
ἀλκὰν σύμφυτος αἰών,
ὅπως Ἀχαιῶν
δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβας
ξύμφρονα ταγαν,

πέμπει σὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι
θούριος ὄρνις Τευκρίδ' ἐς αἶαν,
οἰωνῶν βασιλεὺς βασιλεῦσι νεῶν ὁ κελαινὸς ὅ τ' ἐξόπιν ἀργᾶς,
φανέντες ἴκταρ μελάθρων, χερὸς ἐκ δοριπάλτου,
παμπρέπτοις ἐν ἕδραισιν,
βοσκόμενοι λαγίναν ἐρικύμονα φέρματα γένναν,
βλαβέντα λοισθίων δρόμων·
αἴλινον, αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.

Hoc enim, quo posuimus, modo stropham scribendam et distinguendam judicamus, in plurimis, quae literis latioribus impressa sunt, a Godofredi Hermanni sententia diversi, qualem e postrema ejus editione expectata illa et praeclara cognovimus. Horum igitur in seqq. ratio reddetur.

Κύριός εἰμι θροεῖν etc. Incipit his altera carminis amplissimi pars, nec dubium, quin ea primum *ᾀσίμον* contineatur, quod *παρόδῳ* poeta junxit, ut majus atque amplius fieret fundamentum, cui tantum opus superstrueret. Continentur eo, quae ad belli auguria et ad Iphigeniae mactationem pertinent. Invalescit autem chori animus ad sacrorum undique effulgentium conspectum erectus et instantis eventus expectatione concitatus ad cantus animi motu atque vigore conspicuos exsurgit. Schol. M. G. R. V. *Κύριός εἰμι θροεῖν· δυνατός εἰμι εἰπεῖν τὸ συμβὰν αὐτοῖς* (G. *αὐτοί*) *σημεῖον ἐξιοῦσιν*. — *ὅδιον· τὸ ἐν τῇ ὁδῷ ὀφθέν*, quae a sensu poetae alienissima. *Κύριος*, sane qui *κῦρος*, potestatem alicujus rei habet, et *κύριός εἰμι θροεῖν*: potis sum carmine celebrare, sed *ὅδιον κράτος ἀνδρῶν* robur virorum est, ad iter, i. e. ad Trojanam expeditionem coactum, idque dicit *αἴσιον*, faventibus diis praeparatum atque profectum. Qui invitis diis in bellum iverant, velut septem heroes in Thebanum, hi monente Pindar. Nem. IX, 18: *ἄγαγον στρατὸν ἀνδρῶν αἰσιᾶν οὐ κατ' ὀρνίχων ὁδόν*. Et erant aquilarum, quae sequuntur auguria, quoad expeditionis ac rerum eventum *αἴσια* vel *δεξιά*, ut v. 141 ait. Mirum autem, quod ad Aristoph. Ran. v. 1274 ed. J.

Bekk., quo loco haec Aeschylea Euripides *κωμῳδεῖ*, Schol. notat: *δσιον· ἐν τοῖς πλείστοις αἴσιον: Ἀσκληπιάδης δὲ τὸ ὅσιον. Ἔστι δὲ ἐξ Ἀγαμέμνονος Αἰσχύλου.* Mirum dico, quod Asclepiades, doctissimorum *φιλολόγων* unus, lectionem dicatur amplexus, quae hexametrum rhythmum pessumdet. Hinc *αἴσιον* glossam esse et ad *ὅσιον* spectare crediderim, pro quo ille *ὅδιον* legerit, eoque cum Pauwio scribendum: *ἐν τοῖς πλείστοις ὅδιον. Ἀσκληπιάδης δὲ ὅσιον κ. τ. λ.* Est autem *ὅδιον* illud *κράτος ἀνδρῶν ἐκτελέων.* Constans librorum lectio *ἐκτελέων*, etiam Schol. Aristoph. l. l. (nisi quod R. adj. in duas voces *ἐκ τελέων* discerpsit. Immutavit Stanl. *ἐντελέων* scribendo, quem Heathius, Schützius, Blomfieldius alii sequuti sunt, *ἐντελεῖς ἐν τέλει ὄντας* intelligentes, viros principes qui rei publicae praesunt. Servat vulg. Wellauerus et viros *excellentes* vertit. Vulgatam qui defendere velit, hunc scribere debere divisim monet G. H.: „ut *κράτος ἐξ ἀνδρῶν τελέων* dicatur imperium, quo a supremis ducibus imperata est expeditio“. Ni fallor intellexit *ἄνδρας ἐκ τελέων*, ut *τέλη magistratus* sint, quo artificio nequaquam notionem loci dignitati congruam, sed simplicem magistratuum indicationem nanciscaris. Pergit: „sed multo praestabilius est *ἐντελέων*“ nulla addita causa. Vocabulum *ἐκτελής* necessario ab *ἐκτελεῖν* pendet, quod usu constanti est *perficere*. Il. *β*, 286 *οὐδέ τοι ἐκτελέουσιν ὑπόσχεσιν, ἥνπερ ὑπέσταν.* Od. *ν*, 99 *ἤ ἔπος ἠέ τι ἔργον ὑπόσχας ἐξετέλεσσε.* Adde Il. *ε*, 245 *μή οἱ ἀπειλὰς ἐκτελέσωσι.* Hinc *ἐκτελής* erit *ἐκτετελεσμένος perfectus*. Hes. *Ἔ. κ. Ἡ.* 463 *εὔχεσθαι δὲ Διῒ χθονίῳ Δημήτερί θ' ἁγνῇ ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν.* Hucusque igitur *ἀνδρῶν ἐκτελέων* erit virorum *perfectorum* i. e. quorum et robur et virtus absoluta sunt. Sed hujusmodi verbalium adjectivorum significatio cum inter activum et passivum fluctuet, *ἐκτελεῖν* autem de efficiendo, quod promiseris, et de vindicta exigenda dicatur, *ἐκτελής* h. l. fere erit quod *ἐκτελεστικός*, referendumque ad Atridas, *δίκης πράκτορας*, qui in seqq. nominantur.

v. 105 seqq. *ἔτι γάρ — αἰών.*

Parenthesis, ut vulgo putant, constituenda multis virorum doctorum disputationibus agitata est. Lectio Medicea structuram monstrat: *αἰὼν καταπνέει πειθῶ μολπᾶν*, qua admissa *αἰὼν ἀλκᾷ σύμφυτος* dici debebit. Reliqui libri in lectionibus *πειθοῖ, μολπάν, ἀλκάν*, consentiunt, quibus admissis *ξύμφυτος αἰὼν* extra orationis nexum cadunt. Hinc nata conjecturarum seges largissima: *ἀλκὰν σύμφυτον αἶνον* Heathius. — *ἀλκὰν σύμφυτον ᾄδων* Schützius (*cognatum robur* nempe Atridarum *canens*) et hoc quidem sensum satis commodum praebet. Blomf. — *ἀλκᾷ σύμφυτος αἰὼν* idem in textu ed. II. — *ἀλκὰν σύμφυτον αἰὲν* Bothius. — *πειθῶ μολπᾶν, ἀλκὰν σύμφυτον αἰὼν* Blomf. — *πειθώ, μολπᾶς ἀλκὰν* Bambergerus. — *Πειθὼ μολπᾶν ἀλκᾷ ξύμφυτος αἰὼν* Joh. Franzius, hac addita interpretatione: „Etiam nunc expeditio mihi fiduciam ad canendum praebet, quia tempus nondum praeteriit, quod velut necessarium ad faustum eventum describitur. (Noch gibt uns der Heereszug Vertrauen zum Gesang, da die Zeit noch nicht abgelaufen ist, welche als zum glücklichen Ausgang erforderlich geschildert wird.) Ad haec Hermannus in censura hujus editionis: Sensum Franzius in nota recte indicavit, quamvis *μολπᾶν* ei non conveniat“. Recte sane ille quatenus *ἔτι* ad praeterlapsos inde ab initio belli annos refert. Reliqua a consilio poetae et dictionis sensu longissime videntur abhorrere. Quis enim, ut alia taceam, sibi persuadeat, *αἰῶνα* de tempore belli Trojani dici, ita ut *σύμφυτος ἀλκᾷ* ille *αἰὼν* dicatur concretus seu conjunctus cum felici eventu pro ad felicem eventum necessarius? Sequutus tamen hoc G. H. Ex eo nimirum, quod destinatum bello tempus nondum sit exactum, manifestum esse ait, ad *πειθὼ* per appositionem adjectum fuisse, id quo niteretur ea fiducia, idque fieri si scribatur *ἀλκᾷ σύμφυτος αἰών*. — Addit: „Saepe *ἀλκή* pugnam et bellum significat, ut in S. c. Th. v. 855 (859). Bello autem *σύμφυτος αἰὼν* tempus est conjunctum cum eo, satis usitato genere dicendi“. Laborat haec ratio tum eo, quod non docetur, quare ad *πειθὼ* appositio necessaria sit; nam quo pertineat haec persuasio vel fiducia, id quidem in proxime sequentibus uberrime

docetur, tum eo, quod sensu admodum contorto et difficili tempus ad bellum necessarium dicitur *αἰὼν σύμφυτος ἀλκᾷ*. Nam *σύμφυτα* sunt, quae natura cohaerent et concreta sunt, non quae casu aut oraculo quodam conveniunt et conjunguntur. Neque verum, de certo et definito tempore ad Trojam capiendam necessario ex auguriis, quae Aeschylus sequitur, quidquam innotuisse. Longum fore sciebant, quantum vero annorum futurum esset nesciebant et omnis ille Homericus decem annorum computus alienus ab Aeschylo, quamquam decimum jam annum expeditionis chorus canat. Haec cum ita se habeant, interpretatio ad priorem viam erit revocanda, licet admodum severe de ea judicet G. H., non minus *inepta* judicans quae recentiores quam quae Scholiastae protulerint. Scholiastae haecce: M. G. ad *πειθώ· πείθει γάρ με ἡ παρὰ θεῶν πίστις μέλπειν καὶ λέγειν, ὅτι εὖ πράξουσιν οἱ Ἀτρεῖδαι, ὅσον ἀπὸ τῶν σημείων.* Eadem ad *θεόθεν καταπνέει* M. R. V. nec video quid in his culpandum. Hunc sequitur Stanlejus, qui vertit: „Adhuc enim divinitus spirat (potius mihi adspirat) fiducia cantum, viresque cognata aetas“, in parenthesi addens *subministrat*, quo opus non est. Is igitur vidit *ἐκ παραλλήλου* posita *πειθὼ μολπάν, αἰὼν ἀλκάν*, et utrumque ad *καταπνεῖν* esse referendum. Eodem fere redit Vossius, dum interpretatur (Curae Crit. p. 15) „quamvis senex sim, adhuc tamen divinitus immissa cantum inspirat fiducia, adhuc aetas vires (ad canendum) subministrat“, falsus tamen in eo, quod senectutis notionem prioribus quoque intulit. *Ἔτι* enim et ad belli Trojani diuturnitatem, et ad chori aetatem aequo modo spectat. Diuturnum sane tempus effluxit, sed inconcussa oraculorum fide. Itaque *adhuc* persuasio ejus animum pervadit divinitus mota. Est idem senectute confectus eaque extrema atque debili, *adhuc* tamen eo usque validus, ut si persuasio illa divinitus immissa eum moveat, vires sibi ad canendum superesse sentiat. Fit hoc simili in causa sub finem tragoediae, quo summa indignatio propter Aegisthi facinus et magniloquentiam animum chori ita movet, ut se ad depugnandum cum eo accingat. Est igitur extrema quidem, sed generosa

senectus, quam in se exhibet. Haec et nexui interiori et naturae senili apprime conveniunt, nec minus linguae.

Ad *σύμφυτος αἰὼν* M. G. R. V. *ὁ γὰρ σύμφυτός μοι αἰών, ὅ ἐστι τὸ γῆρας, διὰ τὴν εἰς θεοὺς πειθὼ μολπήν μοι καὶ ἀλκὴν καταπνεῖ· ὅ ἐστιν· εἰ καὶ γέρων εἰμί, ὅμως μέλψω τὰ γεγονότα· πέποιθα γὰρ ὅτι εἰς πέρας* (R. *ἐς πέρας*) *αὐτὰ ἄξουσιν οἱ θεοί.* G. H. judicat de Schol.: „Patet haec neque cum verbis poetae congruere, nec, si congruerent, aptam sententiam praebere". Falsus sane Schol. in eo, quod miscet *μολπὴν* et *ἀλκὴν* quae juxta posita sunt, sed in reliquis verissime judicat, *σύμφυτος αἰὼν* ut par erat ad chori aetatem i. e. ad senectutem revocando. Ita Soph. quem ipse G. H. laudat, *ξυνεῖναι* de longo aevo, Oed. Col. v. 7 *στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὠ χρόνος ξυνὼν μακρὸς διδάσκει καὶ τὸ γενναῖον τρίτον.* Non alio sensu infr. v. 147 Iphigeniae sacrificium appellat *νεικέων τέκτονα σύμφυτον*, scil. Agamemnoni immixta Clytaemnestrae notione. Pind. Isthm. III, 14 (22) *ἀνδρῶν δ' ἀρετὰν σύμφυτον οὐ κατελέγχει*, quae scilicet illorum genti virorum inerat. Denique non est quod moneamus, absente inter utramque sententiae partem particula orationis vim multum augeri. Bene igitur factum, quod E. I. Ahrens lectionem sanam et prisca fide testatam *ἔτι γὰρ θεόθεν καταπνείει πειθὼ μολπάν, ἀλκὰν σύμφυτος αἰών*, inconcussam in textu posuit et vertit: „Adhuc enim divinitus mihi inspirat fiducia cantum, vires ad canendum cognata aetas".

Structuram scholiastes, ut vidimus, ita ordinat, ut *κύριός εἰμι θροεῖν ὅπως Ἀχαιῶν* conjungantur, quo facto, quae in medio sunt *ἔτι γὰρ — αἰὼν* a reliquis separari *παρενθετικῶς* debent, idque factum ab interpretibus cunctis. Nec tamen opus *παρενθέσει*. Sententiae enim justo ordine sese excipiunt, et *ὅπως* commode ad notionem canendi referri potest, quae in verbis *καταπνείει πειθὼ μολπὰν* inest.

— In seqq. v. 109 *ὅπως Ἀχαιῶν* — v. 112 *Τευκρίδ᾽ ἐπ᾽ αἶαν* Schol. M. G. R. V. *Ἑλλάδος ἥβαν· τοὺς κρατοῦντας τὴν Ἑλληνικὴν ἥβην καὶ τὴν ὁμόφρονα περὶ τὰ τακτικά. λέγει δὲ τοὺς Ἀτρείδας.* Is igitur *κράτος ἥβαν* junxit et contra dictionis indolem *τοὺς κρατοῦντας Ἑλληνικὴν ἥβην* interpretatus est. Qui *ἥβαν* defendit, debet *Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος, Ἑλλάδος ἥβαν, ξύμφρονα ταγάν* juxta posita statuere, quod fieri non potest, quia Atridae non possunt dici *Ἑλλάδος ἥβα*. Loco auxilium tulit Aristophanes, apud quem Euripides aliis jocose immixtis haec Aeschylea affert v. 1282 (1317): *κύριός εἰμι θροεῖν ὅσιον* (*ὅς διον* cod. Ravennas, quae corruptio verae lectionis *ὅδιον* vestigium habet) *κράτος αἴσιον ἀνδρῶν* — *Ὅπως Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος Ἑλλάδος ἥβαν* — *πέμπει*. Ad quae Schol. *Εὐριπίδης δὲ ὁμοίως τὰ Αἰσχύλου χορικὰ μέλη διεσπαρμένα λέγει ἐξ ἄλλων καὶ ἄλλων. Τοῦτο μέντοι ἐξ Ἀγαμέμνονος. Δίθρονον δὲ κράτος αὐτόν τε καὶ τὸν Μενέλαον. ἀκμὴν δὲ τὴν νεότητα· ἔστι δὲ ἀνανταπόδοτον.* — G. H. „Scilicet *ἥβαν* erant *ἀκμὴν* interpretati, ex quo in nonnullis Aristophanis codicibus ad *ἥβας* adscriptum est *ἀκμῆς, ἰσχύος*". Fluxa apud Aristoph. lectio *ἥβα* vulg. — *ἥβαν* cod. Mutin. contra Ravennas et Venetus *ἥβας* uterque. — Structura igitur erit: *ὅπως θούριος ὄρνις πέμπει* (sensu pendente) *Τευκρίδ᾽ ἐπ᾽ αἶαν δίθρονον κράτος Ἀχαιῶν, ξύμφρονα ταγὰν Ἑλλάδος ἥβας.* Nempe auspiciorum ductu (*πομπῇ*) cum suscepta crederetur expeditio, haec ipsa Atridas misisse dicuntur ad vindictam exigendam. — *Ταγή*, ut *τάξις* de *acie* in versu laconico ap. Aristoph. Lysistr. 105 *ὁ δ᾽ ἐμός γα, κἂν ἐκ τᾶς ταγᾶς ἔλσῃ πόκα* — sicut *τάσσειν* ad imperium transfertur (Hesych. *ταγαῖς, ἀρχαῖς, ἡγεμονίαις*) et *σύμφρονα ταγάν* consentiens vel concors imperium *Ἑλλανίδος ἥβας*.

Obstat tamen syllabae prioris mensura quam longam rhythmus dactylicus requirit, at brevem esse monstrat versus Aristophanis modo allatus, nec non reliquae voces, quae ex simplici radice *ΤΑΓ* progerminant *τάξις, τάγμα, προσταγή*, al. Contra *ὁ ταγὸς* longam habet

α, utpote ex forma perfecti secundi τέταγα nata „qui praepositus est“. Obstant quidem duo loci Homeri et Aristophanis, sed uterque corruptus. Il. ψ, 160 παρὰ δ' οἱ ταγοὶ ἄμμι μενόντων. Aristarchea haec est lectio, sed adversum habet poetae usum, cui ignotum est ὁ ταγὸς et in hoc ipso rhythmi pede ubique ἀγὸς adhibetur, ut Il. γ, 231 ἀμφὶ δέ μιν Κρητῶν ἀγοὶ ἠγερέθονται, coll. Il. μ, 61 al. Neque aliter lectus fuit versus ille extra scholam Aristarcheam. Sed lectio vulgata, quae ferebatur παρὰ δ' οἵ τ' ἀγοὶ ἄμμι μενόντων superfluam habet particulam, et si hanc sordem poetae abstergere velis relative intelligendo voces οἵ τ' ἀγοὶ „qui duces sunt“, inusitatam poetae circumlocutionem et verborum θέσιν inducis. Rediit tamen ad vulgatam Imm. Bekkerus. Locus aperte jam ante Alexandrina tempora vitiatus et, ni fallor, legendus παρὰ δ' οὖν ἀγοὶ ἄμμι μενόντων. Alter locus Aristoph. Equitt. 159 ὦ τῶν Ἀθηναίων ταγὲ τῶν εὐδαιμόνων parodiam habet tragicam et jam a Dawesio Miscell. crit. p. 245 est correctus, qui scripsit ὦ τῶν Ἀθηνῶν ταγὲ κ. τ. λ. In reliquis omnibus salva prosodia, ut Prometh. 96 ὁ νέος ταγὸς μακάρων; Pers. 29 initio anapaesti ταγοὶ Περσῶν; Soph. Antig. 1044 ἆρ' οἶσθα ταγοὺς ὄντας ἃ'ν λέγῃς λέγων. Hinc pendet τάγευσαι (– – –) S. contr. Th. 58 *duces constitue*, contra ταγοῦχος (υ – υ) i. e. ταγὴν ἔχων Eum. 286 θρασὸς ταγοῦχος ὡς ἀνὴρ ἐπισκοπεῖ. Laudat Godofr. Hermannus Blomfieldium, quod ταγὸς propter metrum scripserit, subjungit tamen haec: „Adjungenda est altera caussa, non illa levior, quod sententia *duces* nominari postulat. At non erat scribendum ταγόν, sed accentu tantum immutato τάγαν. Hac uti forma maluit poëta non solum quod magis poetica esset, sed etiam quod longa vocalis aptius responderet antistrophico πύργων“. De metro non est, quod denuo moneamus, cui quidem ὁ τάγης et ὁ ταγὸς aeque respondet, nec magni facienda, quam vir praeclarus alteram caussam appellat. Quis enim credat, Atridas, qui modo δίθρονον κράτος dicti sunt, non potuisse nominari σύμφρονα ταγὸν pro σύμφρονας ταγούς? Sed mireris, quod nihil ad commendandam formam ὁ τάγης addatur. Equidem ejus nullum novi vestigium,

nisi in glossa corrupta Hesych. p. 1339 n. 15 Alberti: *Ταΐης. διοικητής, προστάτης,* quam Joseph. Scaliger *τάγης* scribendo restituit. Ad eandem formam spectant nomina *μισοταγής, ὁμοταγής, πρωτοταγὴς* similia, quae ex recentioris aevi scriptoribus collecta sunt in H. Steph. Thes. p. 1261 C ed. Lond.

Altera difficultas in v. 111 *ξὺν δορὶ δίκας πράκτορι,* quorum vitium metricum ex Aristoph. l. l. tollere studuerunt scribendo *ξὺν δορὶ καὶ χερὶ πράκτορι,* resistente God. Herm. dum ait: „Scholiastes Aristophanis *τὸ δὲ ξὺν δορὶ καὶ χειρὶ πράκτορι ἐξ Ἀγαμέμνονος, ἐκ τῆς συνεπείας τοῦ κύριός εἰμι θροεῖν.* Aristophanes ista vel minus fida memoria citavit vel pro suo arbitrio paulium mutavit. Aeschylum aliud scripsisse et libri arguunt et ostendit motrum versus antistrophici. Id fuit *ξὺν δορὶ πράκτορι ποινᾶς*". — Aristophanem neque negligenter citasse neque pro arbitrio mutasse dictionem Aeschyli ex eo manifestum, quod haec ipsa verba *ξὺν δορὶ καὶ χειρὶ πράκτορι* Schol. *ἐξ Ἀγαμέμνονος* sumpta testatur. *Δίκας* haud dubie glossa est v. *πράκτορι* adscripta neque melior fit dictio, si mutatione simul et transpositione adhibita *πράκτορι ποινᾶς* inde efficias. *Πράσσεσθαί τί τινα* cum sit „exigere aliquid ab aliquo", ut *μισθόν, δίκην,* facile officitur *πράκτορα* i. e. *exactorem* sine *μισθοῦ* vel *δίκης* additamento dici et posse et debere, et si tamen talis vox praeter metrum accedat, glossatoribus eam esse tribuendam. Gl. M. G. R. V. *δίκας πράκτορι τῷ δίκην εἰσπραξομένῳ.* — Sed ut ad subjectum redeamus, *θούριος ὄρνις* impetuosa avis aquila est, *οἰωνῶν βασιλεὺς* nostro, *ἀρχὸς οἰωνῶν* Pindaro dictus Pyth. I. init., et *οἰωνῶν βασιλεὺς* opp. *βασιλεῦσι νεῶν.* Isque duplex *ὁ κελαινός, ὅ τ' ἐξόπιν ἀργίας.* Schol. M. (apud quem *ὅ τ' ἔξοπιν*) G. R. V. *ὁ τ' ἐξόπιν ἀργίας ὁ ἐξοπίσω λευκός, ὅ ἐστιν ὁ πύγαργος* (G. *πήλαργος*) i. e. caudam albam habens, et facile patet phrasi *ὅ τ' ἐξόπιν ἀργίας* velari illud, quod in voce *πύγαργος* minus dignum tragica dictione inest. Utrumque aquilarum genus distinguit Aristot. H. An. IX. c. 32. p. 274 l. 21 Imm.

Bekkeri ed. minoris, jam Stanlejo laudatus, dum diversa avis illius genera recenset: *Τῶν δὲ αἰετῶν ἐστι πλείονα γένη, ἓν μὲν ὁ καλούμενος πύγαργος .... ἔνιοι δὲ καλοῦσι νεβροφόνον αὐτόν ..... ἕτερος δὲ μέλας τὴν χροιάν, καὶ μέγεθος ἐλάχιστος, κράτιστος τούτων .... καλεῖται δὲ μελανάετος καὶ λαγωφόνος.* Sed adj. *ἀργίας* incongruum, sive formae insolentiam, sive metrum respicias, cui frustra succurrit Wellauerus, synizesim utriusque postremae syllabae statuendo, qualem Aeschylea dictio non admittit. Scriptura formae legitima est *ἀργῆς*, unde *ἀργῆτος* et *ἀργάεις*. Hinc Pind. Pyth. IV, 5 *ἀργάεντι μαστῷ*, et Ol. X, 66 *ταῦρον ἀργάεντα*. Hinc Blomfieldius *ἀργᾶς* scripsit, sed scribendum *ἀργᾷς* i. e. *ἀργάεις*, quod cum *ΑΡΓΑΙΣ* esset, facile in *ΑΡΓΙΑΣ* abire potuit. — Jam numeri *μετάβασις* in seqq. dum ex sing. *θούριος ὄρνις* in pluralem *φανέντες* transit, nec tamen mutare ausim cum Schützio aliisque in *οἰωνῶν βασιλεῖς*, quia pluralis per disjunctionem praecedentem *ὁ κελαινός κ. τ. λ.* praeparatur. Apparuerunt autem *ἴκταρ μελάθρων χερὸς ἐκ δορυπάλτου παμπρέπτοις ἐν ἕδραισιν.* *Ἴκταρ* recurrit Eum. 952 *ἴκταρ ἥμενοι Διός*, *prope* Jovem sedentes, et idem vocabulum ab Aeschylo in Edonis adhibitum fuisse, testis Erotianus h. v. p. 28 ed. H. Steph., qui veterum de etymo dubitationes testatur: *οἱ δὲ περὶ Ἰσχόμαχον καὶ Κυδίαν τὸν Μυλασέα ἔγραψαν ἴκμαρ. αἴτιον δὲ τούτου ἡ τῆς λέξεως ἄγνοια.* — Derivat eam Timaeus Lex. Plat. p. 149 *παρὰ τοῦ ἀφικνεῖσθαι.* Ruhnkenius ad h. l. ab *ἵκω*, quod fieri non potest, siquidem in *vicinia* significat, et obstat etiam proverbialis dictio ap. Platon. Pol. IX, p. 508 C. *τὸ λεγόμενον οὐδ' ἴκταρ βάλλει*, de quo Thomas Mag. (p. 188, l. 3. seqq. ed. Ritschel.) *ἴκταρ ἀντὶ τοῦ ἐγγύς· Αἰσχύλος ἴκταρ μελάθρων, ὡς ἔχει τὸ τῆς παροιμίας οὐδ' ἴκταρ βάλλει, ἐπὶ τῶν ἀποτυγχανόντων λεγόμενον ἐκ μεταφορᾶς τῶν τοξευτῶν τῶν οὐχ' οὕτως τοῦ σκοποῦ τυγχανόντων, ἀλλ' οὐδ' ἐγγὺς βαλλόντων.* Patet igitur vocem ejusdem radicis esse, cujus est lat. *vicinus*, exstinctae in reliquis graecis et in hoc solo adverbio conspicuae.

— *Χεὶρ δορύπαλτος* manus, ex qua hasta mittitur, dextra est; contra laeva qua clypeus gestatur. Hinc dictiones *παρ' ἀσπίδα, παρὰ δόρυ ἄγειν, παρὰ δόρυ καθίστασθαι,* ad dextram cousistere, similia. — Schol. M. G. (*χερὸς ἐκ δορυπάλτου*) *ἐκ δεξιᾶς ὅ ἐστιν εὐσυμβόλως.* Eadem R. lemmatis loco partem Scholii ponens (*ἐκ δεξιᾶς*) *ὅ ἐστιν εὐσυμβόλως.* Vict. omisit. — *Παμπρέπτοις ἐν ἕδραισιν.* M. G. R. V. *παμπρέπτοις*) *τοῖς βασιλείοις,* quam sequuti sunt interpp. istud *πάμπρεπτον* de ornatu columnarum colorumque regio intelligeutes. Contra G. H.: „Errant qui Stanlejo duce has *παμπρέπτους ἕδρας* de palatio Agamemnonis intelliguut. Caeli fausta portendens regio est quam dicit chorus. Euripides Herc. fur. v. 596 *ὄρνιν δ' ἰδών τιν' οὐκ ἐν αἰσίοις ἕδραις.* Plura vide apud Spanhemium ad Call. lav. Pall. v. 124. Quod Aeschylus, similiter dixit Ennius apud Ciceronem de Div. I, 48: cedunt de caelo ter quattuor corpora sancta Avium, praepetibus sese pulcrisque locis dant". Speciosa haec, imprimis versus Ennii, et quod *ἕδραι* i. e. loci augurales seu in auguriis idonei fausta ad auspicia pertinent. At vero praepetes pulchrique loci sunt *ἐπιδέξιοι,* in quos alacri volatu deferuntur idque noster verbis *χερὸς ἐκ δορυπάλτου* jam expressit. Nec potest ab aedibus regiis scena ista aquilina removeri, advolant a dextra manu i. e. *εὐσυμβόλως* et juxta quidem *μέλαθρα.* Quid igitur veri proprius quam eos ex volatu ibi consedisse, ut comederent praedam. Adest nimirum Calchas et cum regibus quidem, quia eis vaticinatur. Inde conclúdas cogitari eum cum ducibus ante aedes Agamemnonis in ipso expeditionis apparatu sacra inchoasse, cum portentum istud fieret. Accedit, quod ira Dianae in domum regiam fundamento caret, quod poeta ejus vindictae substruere vult, si nexus inter dapes aquilarum deae invisas et regias Atridarum aedes removetur. Nec denique putem *πάμπρεπτον* de sola coeli regione dextra sive fausta portendente dici. Inest enim vocabulo, quod ad ornatum et splendorem axternum spectat, qui, quando regiae aedes simul commemorantur, ad eas necessario pertinet. Locus ipse inter *φανέντες* et *γένναν* diversis modis corruptus. Apertam interpolationem

praebent lectiones satis diversae, ex quibus structura efficitur *οἳ* (R.) *φανέντες* . . . *φέρβοντο* (Fl. Fa. V.). Ejecto relativo οἳ et substantivo *φέρμα* in locum verbi *φέρβοντο* revocato, prodit lectio *βοσκόμενοι λαγινὰν ἐρικύμονα φέρματι γένναν*, fide M. G. B., tradita item edd. criticis. Nam Turnebiana quoque, ex qua G. H. *ἐρικύμονα φέρματα* affert, dativum *φέρματι* habet. Sed jam *φέρματι* otiose additum. Quo enim alio modo nisi *φέρματι* i. e. *gestamine*, seu eo, quod in ventre gerit, gravida esse potest leporina illa soboles? *Λαγινὸς* leporinus, ut *λιθινὸς* a *λίθος*, deductum a simplici vocabuli forma *λαγός*, quam juxta pleniorem *λαγώς*, unde *λαγωός*, habebant Jones. Leporinam sobolem ipsum leporem appellat, monente jam Sch. M. (apud quem solum *λαγίναν*) R. V. *λαγινὰν γένναν, τὸν λαγωόν.* Ἐρικύμων a *κυέω*, unde *κύημα* et contractione *κῦμα*. Hesych. *κῦμα ὕδατος, ἐπιδρομὴ βιαία καὶ τὸ ἔτι ἐν τῇ κοιλίᾳ, καὶ τὸ γεννώμενον* (add. *ἀντὶ τοῦ*) *κύημα*, et habet Aesch. Choeph. v. 126. Eum. 629 *τροφὸς δὲ κύματος νεοσπόρου.* Hinc (*ἐρικυέμων*) *ἐρικύμων* Gl. M. G. R. V. *ἐρικύμονα· πολυκύμονα* et est haec natura leporum. Oppian. Cyn. III, 521 *ἔξοχα γὰρ τόδε φῦλον* ... *πουλυγόνον τελέθει.* — Accedit praeceps illa *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος.* Schol. M. R. V. *βλαβέντα· πρὸς τὸ σημαινόμενον τὸ βλαβέντα.* Spectaret igitur ad *λαγωόν*, quem voci *λαγινὰν γένναν* subesse notat idem Schol. Admitti hoc posset, praegresso autem pleonastico illo dativo, confert haec abrupta ratio ad lectionem sollicitandam. Monet G. H.: „Elegans est Seidleri conjectura *ἐρικυμάδα*, hausta ex eo, quod Hesychius adnotavit *κυμάδας, ἐγκύους*. Sed non ausim rejicere *ἐρικύμονα*, quum facile propter sequens *φέρματι* corrumpi potuerit. Et Scholiastes *πολυκύμονα* adscripsit". Quid vero dativo *φέρματι* fiat? Nempe *φέρμα* non solum passivam habet vim, *quod fertur*, gestamen, sed etiam *activam*, *quod* vel *qui* fert. Hinc G. Schwarzius, vir acuti ingenii et multae doctrinae, cum sodalis seminario nostro interesset, legendum proposuit *βοσκόμενοι λαγινᾶν ἐρικύμονα φέρματα γεννᾶν*, quod probarem, si de pluribus leporibus sermo esset. Hinc mutato tantum

dativo scribam *λαγωὰν ἐρικύμονα φέρματα γένναν*. Nata accusativi corruptela ex eo, quod non intelligerent *λαγωὰν γένναν* et *ἐρικύματα φέρματα* juxta poni. Jam vero *λαγωὸν ἀπὸ τοῦ νοουμένου* non erit intelligendum. Nam *φέρματα* ... *βλαβέντα* naturali ordine jungi vides nec quicquam quod offendat, remanet, nisi audax, sed lyrico conveniens praedicatorum *διάζευξις*. Amplexus *φέρματα* Palejus quoque, sed jure irrisus ab Hermanno, quod ad foetus retulerit *φέρματα*, quos utero mater gestaret. Hos enim ait ex Paleji mente cucurrisse, priusquam nascerentur. — Leporem autem gravidam *βλαβέντα* ait *λοισθίων δρόμων*, deceptam ultimo cursu. *βλάπτεσθαι* cum genitivo analogiam habet ad *ἁμαρτάνειν τινός*. Frustra nisa est cursu aquilarum impetum vitare. Nec credam, quae Hermanni sententia est in censura Paleji, *φέρματι* si recipiatur, *λοισθίῳ δρόμῳ* legi debere. Fundum habet dictio Homericum, quem jam Stanlejus monstravit. Od. *α*, 195: *ἀλλά νυ τόν γε θεοὶ βλάπτουσι κελεύθου*, collato Theogn. v. 111, *νόου βεβλαμμένος ἐσθλοῦ*, quod infra v. 1641 *σώφρονος γνώμης ἀμαρτεῖν* dicitur. Idem tamen minus bene vertit: *impedita*, quo minus ultimum cursum conficerent (scr. conficeret). Non enim cursum *conficere*, sed cursu *effugere* voluisse leporem cogites necesse est. G. H.: „Non dicit autem *λοισθίων δρόμων* de postremo ante partum cursu, sed ut significetur quum iam in eo esset ut effugeret lepus impetum aquilarum. Refertur enim augurium ad captam post diuturnum bellum Trojam, sperantibus Trojanis non simulato reditu vela dedisse Graecos“. Haec leporis aquilarum unguibus jam fere elapsae et Trojanorum abscessu Graecorum se jam deliberatos credentium aliena sunt a nexu sententiae. Non enim illa erat animalculae gravidae conditio, ut duarum aquilarum impetu agitata effugium haberet aut se habere credere posset, et omnis vis comparationis in eo nititur ut foetus ejus in utero latentis dilaceratio ad urbis direptionem et incolarum in ea conditorum necem referatur. Quod vero diversam aquilae utriusque indolem spectat, Stanlejus jam intellexit, eam ad diversam utriusque Atridae ingenium referri; nigram (*κελαινὸν*) sum

esse, quae *μελανάετος* dicatur, laudatam ab Homero, dum Achillem ei comparat Il. φ, 252:

> *Αἰετοῦ οἴματ' ἔχων μέλανος τοῦ θηρητῆρος,*
> *Ὅσθ' ἅμα κάρτιστός τε καὶ ὤκιστος πετεηνῶν.*

In hac igitur a vate Agamemnonis imaginem agnosci et interpretando monstrari potuisse manifestum est. Diversa ratio *πυγάργου*. Non equidem credam, quod Stanlejus refert, qui, nescio qua experientia doctus, *πύγαργον* „ad Venerem proclivem" pronunciat, ut ejus imagine Menelaus designetur tanquam imbellis et uxorius. Contra Aristoteles l. l. de *πυγάργῳ*: *πέτεται δὲ καὶ εἰς τὰ ὄρη καὶ εἰς τὴν ὕλην διὰ τὸ θάρσος*. Nec Menelaus, quamquam fratre in bello minor, carpitur a poeta nostro, qui utrumque fratrem antea exhibuit aequali animo ad bella meantem v. 48, *μέγαν ἐκ θυμοῦ κλάζοντες Ἄρη*. Cum autem audaciae et vigoris palma inter aquilas *nigro* deferretur, isque venatorum acerrimus jam Homero esset praedicatus, sequitur, reliquas aquilarum species, quarum quinque Aristoteles recenset, huic vi et dignitate cessisse, ut Agamemnoni cessit Menelaus. Ceterum indolem debiliorem *πύγαργος* eo quoque prodit, quod non solis, ut nigra, animalibus vescatur iis, quae sanguinem calidum habent, sed pisces quoque captet et devoret. Nec omittendum, quod plumae versus caudam ei in aetatis progressu albescant. Jam igitur concinnitas augurii patet. Sunt duae aquilae, duo Atridae, *αἰετοὶ οἰωνῶν βασιλεῖς*, Atridae populorum reges, aquilarum altera robore et impetu potior, eadem Atridarum indoles. Porro imago gravidae leporis ad urbem Priami populosam, illius dilaceratio ad hujus excidium referri a vate et potuit et debuit. Denique *ἐρικύμονα φέρματα* dicta lepos largum sobolis numerum utero gestasse cum innuatur, inde Calchas simul concludit, Trojam *χρόνῳ*, post multum temporis, captum iri, usus eodem augurii artificio, quod apud Homerum adhibuisse dictus est Il. β, 318, ad cujus rationem a nostro omnis scena est disposita. Ibi enim cum exercitui in Aulide congregato

augurium simile fieret, annorum numerum Calchas expeditionis ex passeris pullorum numero definiebat, quos octo draco in exercitus conspectu comederat adjecta insuper matre. Hinc enim novem exercitui bellorum anni, et decimo Trojae direptio denuntiabatur, idque *τέρας* dixit v. 325 *ὄψιμον, ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται,* i. e. non irritum erit, sed eventu in omne aevum gloriosum, idque ipsum, quod Homerus *ὄψιμον* dicit et adjecto *ὀψιτέλεστον* accuratius explicat, in Aeschyleo v. 123 *χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ* continetur. Nempe in Homerico augurio passeris pullorum numerus vati ad expeditionis annorum numerum accurate definiendum viam aperiebat, in Aeschyleo autem numerus peremptorum pullorum indicari non potuit ideoque nec expeditionis anni definiri poterant. Hoc tantum constabat multos fuisse, eoque multos fore expeditionis annos. Haec igitur interna utriusque augurii concinnitas nobis permittit, ut totam Aeschyli scenam ad Homericam dispositam esse statuamus, quamvis, quae est lyricae atque epicae poeseos diversitas, illa plurima rei gestae momenta leviter tantummodo indicet. Hinc concludas, ut apud Homerum in Aulide, ita apud Aeschylum Argis, ibi ad aras deorum, hic ante aedes regis Jovisque *ἑρκείου* aram duces fuisse congregatos, ut sacra diis pro felici expeditione offerrent, iisque ipsis locis auguria illa intervenisse. Ad rem fecit, quod notat G. H., in anaglypho opere, cujus delineationem Böttigerus (Amaltheae Vol. 1.) affert et p. 48 explicat, et aquilam exhiberi illam, quae lepores laceret et serpentem, quae passerum nido inhiet. Inerat tamen diri aliquid in hac innocui animalis ejusque gravidi dilaceratione miseranda, qua ipsarum aedium regalium splendor maculabatur. Hinc cum laetis simul tristia augurium portendere videbatur, quae Calchas non reticuerat, et quae etiam nunc chori animum movent. Itaque et stropham et antistropham et epodum versu terminat:

Αἴλινον, αἴλινον εἰπέ· τὸ δ' εὖ νικάτω.

v. 122—137:

Κεδνὸς δὲ στράτομαντις, ἰδὼν δύο λήματα, δισσοὺς
Ἀτρεΐδας μαχίμους, ἐδάη λαγοδαίτας

πομποὺς ἀρχάς,
οὕτω δ' εἶπε τεράζων·
χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ
Πριάμου πόλιν ἅδε κέλευθος,
πάντα δὲ πύργων
κτήνη πρόςθετα δημιοπληθέσι
μοῖρ' ἀλαπάξει πρὸς τὸ βίαιον.
οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὸν στόμιον μέγα Τροίας
στρατωθέν. οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὴ
πτανοῖσιν κυσὶ πατρός,
αὐτοτόκον πρὸ λόχου μογερὰν πτάκα θυομένοισιν·
στυγεῖ δὲ δεῖπνον αἰετῶν.
αἴλινον, αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.

Inest augurii explicatio, quam Calchas canit, *οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,* (Hom. Il. *α*, 69) qui vates exercitum comitabatur, eoque *στρατόμαντις* dicitur h. l., item apud Hom. l. l. *νήεσσ' ἡγήσατ' Ἀχαιῶν Ἴλιον εἴσω ἣν διὰ μαντοσύνην.* Is igitur vaticinio insignis (*κεδνὸς*) hoc primum Achaeis Trojam profecturis artis specimen edidit, aquilarum dapes ad Trojam ab Atridis capiendam referens: sed *ἰδὼν δύο λήμασι δισσοὺς Ἀτρείδας μαχίμους,* vitiosa dictio. Nimirum iidem Atridae non possunt eodem vocabulorum nexu *δύο* et *δισσοὶ* dici. J. Franzius *δύο λήμασι δισσοὺς* (duo animis duplices Atridas) praegnantem dictionem nominat, quae nobis quidem prorsus nulla est. Alteram vocem omisit Staniej., vertens: dum vertit *animis geminos* Atridas. Nec multum proficias, si sequaris Canterum, qui ait „videtur scribendum *δισσοῖς*“, aut Lobeckium, qui ad Soph. Aj. 151 *δύο λήμασι πιστοὺς* proponit. Elegantem hanc conjecturam nominat G. H., ut est „in locis similibus Pers. 56 *τοξουλκῷ λήματι πιστούς,* Simonidis Epigr. 38 *εὐτόλμῳ ψυχᾶς λήματι πειθόμενοι,* quod Thucydides II, 39 dixit *πιστεύοντες τῷ ἀφ' ἑαυτῶν εὐψύχῳ*“. Num vero apta huic nostro loco? Haud credo. Etenim

id in aquilarum dapibus ad Atridarum expeditionem referendis spectari non debebat, Atridas animo suo *confisos* fuisse, sed eodem tendisse utrumque, quippe qui *σύμφρονα ταγὰν* efficiebant, quamvis diversa indole. — Perspexit hoc ipse G. H. dum notat: „*Δισσοὺς* si verum est non *geminos*, ut verterant, sed *diversos* significare dixi ad Soph. El. v. 635. Videri autem potest Aeschylus diversitatem eam ducum intellexisse, qua Plato in Convivio p. 174 C. ex Homero Agamemnonem *διαφερόντως ἀγαθόν*, Menelaum autem *μαλθακὸν αἰχμητὴν* dicit“. Hinc Wellauerus in L. Aesch. *δισσοὺς* in hoc loco *diffidentes* vertit. Nimirum *δισσὸς* *duplex* non ipsum diversus vel dissidens significat, sed *λήμασι δισσοὶ* sunt *animis duplices* eoque ipso *diversae indolis*. Manet tamen incongrui aliquid et superflui in junctura vocum *δύο δισσοὺς* ad idem nomen relatarum. Pergit G. H. „non male conjiciat quis *δύο λήματα, δισσοὺς Ἀτρείδας*“, quod verum equidem puto. Eodem modo *ἐκ παραλλήλου* posita sunt praecedentia *δίθρονον κράτος, σύμφρονα ταγὰν* et *λαγινὰν ἐριχύμονα φέρματα γένναν*, apertumque *λήματα* in *λήμασι* eadem de causa corruptum fuisse, qua *φέρματα* in *φέρματι* abierat, quia nimirum librarii praedicata juxta posita non intelligerent. *Λῆμα* non quidem, ut G. H. vult, *de ipsa persona*, sed ita tamen dicitur ut *personae loco* ejus voluntatem et indolem expressam habeamus ut in locis ab Hermanno allatis Pind. Pyth. III, 42 *ἔσχε τοιαύταν μεγάλαν ἀάταν καλλιπέπλου λῆμα Κορωνίδος*. Eur. Iph. Aul. v. 1422 *ὦ λῆμ' ἄριστον, οὐκ ἔχω πρὸς τοῦτ' ἔτι λέγειν, ἐπεί σοι τάδε δοκεῖ* et al.

Additur: *ἐδάη λαγοδαίτας πομπούς τ' ἀρχάς*. Codd. *ἀρχὰς* et *ἀρχοὺς* praebent. Prius indoli dictionis magis congruum; *ἀρχαὶ* enim, *magistratus*, ad personas seu proceres transfertur et *πομποὺς ἀρχὰς* dixit *ἀρχηγέτας πομπῆς*, nec tamen *πομπῆς ἀρχὰς* scribas. Nam *πομπὸς* adjectivo sensu dictum, ut infra v. 290 *ἤγειρεν ἄλλην ἐκδοχὴν πομποῦ πυρός*, i. e. *προπομποῦ*. Sed dubitationem movet copula *τε*, quae juxta ponit *λαγοδαίτας* et *πομποὺς ἀρχάς*, ut dicatur Calchas

δαῆναι, perspexisse, et leporum epulatores et expeditionis ductores principes, cum tamen utramque notionem eadem sententia comprehendere debeat. Agitur enim de conclusione, quae ex Atridarum et aquilarum congrua indole a vate deducitur. Accedit, quod hoc modo *δαῆναι* cum accusativo personae struitur, *δαῆναί τινα*, quod num graece dicatur equidem dubito. Cum genitivo personae junxit Homer. Od. *τ*, 325 *πῶς γὰρ ἐμεῦ σύ, ξεῖνε, δαήσεαι*, et cum accusativo rei in *δεδαηκότες ἀλκήν*, Od. *β*, 61. Est quidem cum accus. pers. sed sensu diverso eoque activo Od. *ζ*, 233 *ὃν Ἥφαιστος δέδαεν* (docuit) *καὶ Παλλὰς Ἀθήνη*. Nec aliter se habet Od. *π*, 316 *ἀλλ' ἦτοι σε γυναῖκας ἐγὼ δεδάασθαι ἄνωγα* i. e. perscrutari. Absque casu *δαῆναι* est cognosse, scire. Il. *β*, 290 *ὄφρα δαῶμεν*. Itaque omissa copula struendum puto: *ἐδάη λαγοδαίτας εἶναι πομποὺς ἀρχάς*. Nam cum Atridam utrumque diversa indole cum diversa aquilarum natura conferret, perspexit, leporis epulatores expeditionis esse duces, quod ante dixerat *Ἀχαιῶν δίθρονον κράτος πέμπει θούριος ὄρνις*.

V. 125 *Οὕτω δ' εἶπε τεράζων*. Schol. M. G. R. V. *τεράζων· τὰ τέρατα διηγούμενος* explicans *portentum*. G. H. „Pro *τεράζων* scripsi *τερᾴζων*. V. Etym. M. p. 737, 11". Nempe in voc. *σφαδάζειν* l. 22. *Ἰστέον δὲ ὅτι τὸ σφαδᾴζειν καὶ ματᾴζειν καὶ βορρᾴζειν καὶ τερᾴζειν ἔχει τὸ προσγεγραμμένον*. Rationes addit, quia e *ματαΐζειν* et *σφαδαΐζειν* contracta sunt, eoque non ut *ἁρπάσω, ἑτοιμάσω* alia breve *α* habent, sed *φύσει μακρόν*, nempe subjuncto *ι* productum. Mirum quod neque G. H. neque alius notavit, legi hoc, nempe *τερᾴζων* cum iota subscr. in Cod. Guelf. Erit igitur idem, ni fallor, in M. quoque, ex quo ille descriptus est. — *Χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ Πρ. π.* tempore i. e. longum post tempus et capit pro capiet, ut de re non dubia. *Ἀγρεῖν*, venando (*ἄγρᾳ*) capere, concinne dictum, quia augurium faciunt *αἰετοὶ θηρητῆρες*. Rejiciendum igitur *αἱρεῖ*, ab Elmslejo ad Eurip. Med. 888 propositum, a Blomfieldio probatum, quod siquidem in libris appareret,

glossa genuinae lectionis habenda esset. *Ἆδε κέλευθος,* haec expeditio, i. e. exercitus ad hanc viam, hoc iter se accingens.

V. 127—29. *Πάντα δὲ πύργων κτήνη πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ μοῖρ' ἀλαπάξει πρὸς τὸ βίαιον.* — *Μοῖρα,* fors, quam scilicet illa expeditio inferet Trojanorum urbi, diripiet *πάντα πύργων πρὸς τὸ βίαιον,* violenti modo, i. q. *βιαίως,* ut Prometh. v. 212 *πρὸς τὸ καρτερὸν* i. q. *καρτερῶς.* Ad *κτήνη* recte Schol. M. R. V. *κτήνη· κτήματα.* nec audiendus Palejus, qui ad *pecudes* refert, quarum in urbe capta nulla ratio, et portenti fere instar, quod *πύργων κτήνη πρόσθε* intelligit, quae *ante* urbem pascantur. Corruptela manifesta est vocum *πρόσθε τά.* Stanlejus verterat: „omnes vero (intra) murorum (ambitum) opes, quibus *ante* populus abundabat, fatum vi diripiet". Sed *πρόσθε,* extra structuram vocum *τὰ δημιοπληθῆ* positum, ad *ἀλαπάζειν* referri deberet, quod fieri nequit, siquidem non *ante* urbis opes diripiuntur, nec prius quam urbs capta fuerit, neque *πύργων κτήνη moenium* opes esse possent opes moenibus urbis inclusae. Qui *πρόσθε τὰ* defendunt, posita statuerunt *πρόσθε τὰ δημιοπληθῆ* pro *τὰ πρόσθε δημιοπληθῆ,* et mireris in his G. H. quoque inveniri, qui quidem, si rejicit *πρόσθε τά,* facit hoc, quod sententia frigida sit: „quia *πύργων κτήνη* si antea dicuntur populi Trojani fuisse, tam nihil id ad indicandam opulentiam confert, ea ut minui potius videatur". Is igitur *κτήνη πρόσθε* pro *κτήνη πρόσθε ὄντα* vel *ὑπάρχοντα* intellexit, cui deinde supplementi causa *τὰ δημιοπληθῆ* subjungeretur. — E diversa libr. scriptura *πρόσθε τά, προσθετὰ* et *προσθετὰ* facile *πρόσθετα* efficias, quod Pauwius primus fecit, qui vertit: in turribus et aedibus *reposita,* urbis aedibus acquisita; sed *πρόσθετον* est, quod *adpositum* fuit et opes non *apponi* turribus, sed condi in eis dicuntur. Porro dicitur de rebus quae extra vel juxta adduntur, ut capilli *adtitii,* nec poterit dici de opibus in turribus conditis, ubi de universae civitatis opibus dicendum erat. — Invertit dictionem scribendo *πρὸς δὲ τὰ* H. L. Ahrens. Notat J. Franzius „id fortasse melius esse quam si quis *πρόσ-*

θετα suspicetur". Nec tamen patet, quid istud *praeterea vero* sibi velit. Nam urbe capta caede direptione ac violentia omnes opes ejus involvuntur, neque tanquam peculiare aliquid *τὰ δημιοπληθῆ* possunt accedere. Hoc tamen bene factum, quod *πύργων κτήνη* et *δημιοπληθῆ* disjungit. *Πύργοι* sensu praegnanti, ut turres Latinorum, ad aedes urbis excelsas referri possunt, et hoc quidem loco ad *Πέργαμα Τροίης* gazasque regias Dardanidarum, longo aevo ibi coacervatas, quas maximas fama praedicabat, ut *πάντα πύργων κτήνη* de omni opulentia regia dicantur. His accedebant opulenti populi copiae *κτήνη δημιοπληθῆ*. Blomfieldius *δημιοπληθὴς* vertit „opibus publicis abundans". G. Herm.: „sententia haec est, vi *fatum* turrium opes deripiet collatas a populo". *Πύργων κτήνη* regias esse opes, si non potest dubitari, ab his separandae quae *δημιοπληθῆ* dicuntur. Inest voci compositae non *δῆμος* sed *δήμιος*, et *δημιοπληθῆ κτήνη* sunt *copiosae opes* publicae vel populares. Simile compositum est Pers. 121 *γυναικοπληθὴς ὅμιλος* i. e. coetus mulierum multitudine abundans, seu magna mulierum multitudine conspicuus, et Suppl. 29 *ἀρσενοπληθῆ δ' ἑσμὸν ὑβριστὴν Αἰγυπτογενῆ*. Ut vero pede certo ulterius progredi possimus, respicienda metri in stropha et antistropha diversitas. Non enim sibi respondent str. *καὶ χερὶ πράκτορι*, quam veram esse lectionem monstravimus, et antistr. *δημιοπληθῆ*. Nihili est, quod Odofr. Müllerus proposuit, *δημιοπληθέα*, ut metra congruerent. Est enim haec syllabarum solutio aliena a tragicis, nec structurae succurritur hoc modo. Scribendum: *πάντα δὲ πύργων κτήνη πρόσθετα δημιοπληθέσι*. Sensus est: omnes aedium regiarum opes, popularis opulentiae copiis additas, vis fati deripiet. Nempe urbe capta congeri solebat omnis praedae opulentia, ut deinde justa inter singulos divisio fieret. Famam rei gestae, quatenus ad Trojam spectat, Virgilius servavit Aen. II, v. 762 seqq. dum Phoenicem et Ulyssem in adyto Junonis praedam adservasse Trojanam Aeneas refert, addens:

> **Huc undique** Troia gaza
> Incensis erepta adytis mensaeque deorum
> Crateresque auro solidi captivaque vestis
> Congeritur etc.

V. 130: *Οἷον μή τις ἄτα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας στρατωθέν.* Schol. M. G. R. V. *μή τις ἄτα· μόνον μὴ προτυπὲν* (G. *προτυπὲς*) *ὑπὸ θεῶν τὸ στρατωθὲν* (G. *στρατευθὲν* R. V.) *τῆς Τροίας στόμιον* (R. *στόμιον* omisit) *ὅ ἐστι τὸ ἐπὶ βλάβῃ* (add. *τῆς*) *Τροίας στρατευθὲν* (R. V. item G. *στρατωθέν*, sed cum correctura in ω) *ἄτῃ* (R. *ἄτη*) *σκοτίσῃς* (M. G. *σκοτίσῃ* cum correctionibus in ι et η). In his duae structurae indicantur, altera, qua *θεόθεν προτυπὲν* jungitur, ut *προτύπτεσθαι protrudi* significet, et ordo sit: *μή τις ἄτα κνεφάσῃ θεόθεν προτυπὲν στρ. μ. Τρ.*, altera, quam Scholiastae verba *τὸ ἐπὶ βλάβῃ στρατευθὲν* monstrant, unde manifestum hunc *ἄτᾳ* legisse. Ea autem ratio ut sibi constet, in fine Scholii pro *ἄτῃ σκοτίσῃς* legendum *ἄτῃ σκοτίσῃ τις*, ut structura sit: *οἷον μὴ σκοτίσῃ τις* (aliquis nempe deorum) *ἄτῃ θεόθεν προτυπὲν, στ. μ. Τρ.* Utra ratio praeferenda sit postea apparebit.

Quod ad spiritus diversitatem, quam mss. et edd. critt. in *οἷον* et *οἶον* praebent, Blomfieldius monet, sensu, qui hic sequitur, *οἷον* nusquam poni. Non vidi, qui contrarium doceret. Nam quod ex Homericis affertur, ut Il. ω, 148 *οἷον μηδέ τις ἄλλος ἅμα Τρώων ἴτω ἀνήρ*, id alius generis est, nec offensionem habet. Recipiendum tamen judicat Welcauerus „sensus enim" inquit, „postulat". Nec aliter reliqui. Mihi secus videtur. *Οἷον* in nectenda oratione saepe adhibetur, si praecedentibus explicandi caussa aliquid subjungitur, ut fit hoc loco: „*Capietur quidem urbs*", inquit, „*tali modo, ut verendum sit, ne quid calamitatis simul ingruat*". Scite enim observat G. Hermannus haec apodosin efficere ad verba *χρόνῳ μὲν ἀγρεῖ*, oratione paullulum immutata.

Nempe justus ordo requireret: Capietur quidem Troja post longum tempus, *sed* eo modo, ut verendum sit etc. — Porro *ἄτα* metro repugnat et praeclare ab Hermanno tum in notis ad versionem Humboldti tum in Element. doctr. metr. p. 704 in *ἄγα* mutatur. *Ἄγα* i. e. *ἄγη* est *admiratio*, quae si ad fortunam magnam atque nimiam spectat, invidiam tam hominum quam deorum movere solet. Hesych. *Ἄγη· θάμβος, ἔκπληξις, μίασμα.* Primum illud ad Homer. Il. *φ*, 221 *ἄγη μ' ἔχει*, *μίασμα* ad *ἄγος* spectat, ejusque numerum pl. *ἄγη*, ut notat ibi Albertus. cf. gl. Said. *ἄγος· μίασμα.* Ad invidiam spectant Homerica illa, quae Circe contra deos Mercurio occinit Od. *ε*, 119 *οἵτε θεαῖς ἀγάασθε παρ' ἀνδράσιν εὐνάζεσθαι.* Ceterum *στόμιον μέγα Τροίας*, magnum Trojae frenum, quo pertineat additum participium docet *στρατωθὲν* vel *στρατευθέν*. Harum lectionum prior M. Fl. Ven. 2. B. verbum refert *στρατοῦσθαι* jam Homero cognitum *ἐστρατόωντο*: Il. *γ*, 187 *ἐστρατόωντο παρ' ὄχθας Σαγγαρίοιο*, de Amazonibus, i. e. castra posuerunt, et Il. *δ*, 387 de septem c. Th. *ἐστρατόωνθ' ἱερὰ πρὸς τείχεα Θήβας.* Notat Passowius in Lex. Gr. h. v., hanc imperfecti formam Jonicam solam esse, quae ex hoc verbo occurrat. Contra *στρατεύεσθαι* est expeditionem facere, quo sensu vox apud Pindarum est, Pyth. I, 51 *νῦν γε μὰν τὰν Φιλοκτήταο δίκαν ἐφέπων ἐστρατεύθη.* Hoc praetulit Elmslejus in censura Blomfield. Sed nulla ejus a codicibus auctoritas et recte G. H. judicat conjecturam esse *Turnebi* additque „Est autem *στρατοῦσθαι* quod significat in castris esse, diversum a *στρατεύεσθαι.* Hic commorantes Aulide intelliguntur". — Hoc vero magnum Trojae frenum, quod audaci, quae *χρησμῳδῷ* convenit, metaphora dicit in castris consedisse, ad exercitum refert, qui ad Trojanorum insolentiam *refrenandam* convenerat. Timet igitur, ne qua invidia deorum istud *κνεφάσῃ*, *tenebris obducat*, mala aliqua fortuna vexet, quamvis de ipsa victoria dubitari non possit. Sed dubius haereas, quo referas *προτυπέν*, et quo sensu dictum sit. Schol. *θεόθεν προτυπὲν* jungit, dum *προτυπὲν ὑπὸ θεῶν* explicat, sed apertus nexus inter *θεόθεν* et *κνεφάσῃ*. A diis enim in-

gruunt, quae noctem inducunt. Verbo ipso Homerus utitur, Il. ν, 136 *Τρῶες δὲ προὔτυψαν ἀολλέες*, magno impetu conjunctim irruperunt, et Od. ω, 318 *ἀνὰ ῥῖνας δέ οἱ ἤδη δριμὺ μένος προὔτυψεν.* Butlerus *incitatum* vertit. Blomfieldius ad Stanleji *procusum* redit. G. H. „Non videtur hoc verbo *proruens* exercitus significari posse, quum ea activi tantum verbi potestas sit, multo minus autem procusum ferrum, sed proprie intelligendum *prius percussum,* i. e. ante belli clades immolatione Iphigeniae afflictum". Wellauerus: „Graecorum exercitus ejusque duces (servitutis frenum Trojae impositurі) „*qui jam antea violati sunt,* i. e. qui jam ante discessum Deorum invidiam sibi contraxerunt, peccato ab Agamemnone in Dianam commisso". Hic igitur et exercitum et duces hoc vocabulo comprehendit, invidiamque Dianae omnibus venatica Agamemnonis culpa contractam intelligit. Sed ipse cum concedat tale peccatum nusquam disertis verbis exprimi (re vera nihil de eo apud Aeschylum invenias, non potest innui, quod poetae ne in mentem quidem venit. Certum hoc, verba augurii non tam ad ipsius belli vices, quam ad ea pertinere quae ad bellum profecturis accidere possint, priusquam Trojam perveniant, ut in sequentibus accuratius declarat, dum Aulidensem casum satis aperte indicat. Hoc autem si ita se habet, *στόμιον μέγα Τροίας*, non ad exercitum, sed ad Atridas referendum erit. Hi enim frenum Trojae injicere nituntur, eoque ipsa imagine freni Trojae optime indicantur. Jam apte iidem *θεόθεν κνεφάζεσθαι* dicuntur. Atridae enim, et Agememnon in primis, ingruente, quod vates timet, malo velut profunda doloris nocte obnubitabantur. Simul autem dictionis convenientia patet prorsus egregia, quamquam oraculorum more et ipsa, ni accuratius inspicias, obnubilata. Ceterum Hermannus, qui *προτυπὲν prius percussum* explicat, adversum habet sententiarum nexum. Non enim Atridae *prius* erant *percussi* quam haec canuntur, sed hoc ipso momento aquilarum dapibus *perculiebantur,* si quidem hoc *perculi* ad iram Dianae referre, et *in deae iram incidere* reddere velit. Nihil igitur superest, nisi ut pro passiva activam formam participii *προτυπὸν* ponamus,

ut ad usum Homericum conformetur. Jam hujus metus caussam subjungit v. 132: *οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος Ἄρτεμις ἁγνὰ κ. τ. λ.* Mire Schol. M. G. R. V. *οἴκῳ γάρ· τῷ γὰρ οἴκῳ τῶν κυνῶν Διός, ὅ ἐστι τῶν ἀετῶν, ὀργίζεται. Ἄρτεμις δὲ τὸν κύοντα* (*τοκύοντα* G.) *τὸν λαγὼν ἀποκτεῖναι. Λοχεία* (*λοχία* Dindorfius) *γάρ ἐστιν ἡ θεός.* Sed in priori parte *οἴκῳ διὰ τῶν κυνῶν Διὸς* scribendum cum Stanlejo, mox *ὀργίζεται Ἄρτεμις διὰ τὸ κύοντα τὸν λαγὼν κ. τ. λ.* Postrema in G. *τοκύοντα* latent. Inductus est ni fallor Blomfieldius scholio corrupto, ut alatos patris canes Atridas crederet, nec ab errore revocatus est eo, quod jam Atridae dicerentur leporem cum prole comedisse. Aquilae ipsae sic dictae Prometh. 1023 *Διὸς δέ τοι πτηνὸς κύων δαφοινὸς αἰετός,* quo loco ipse Blomfieldius usus est. Canes autem Jovis dictae respectu ad venationem. Sunt enim *θηρητῆρες.* Nec offensionem habet junctura ejusdem casus *οἴκῳ γὰρ ἐπίφθονος — πτανοῖσι κυσὶ πατρός.* Posterior enim ablativi vice fungitur et causam indicat, ex qua aedibus regiis irata sit Diana. De hoc usu confer. Matth. Gr. gr. §. 398 n. 4 lit. b, quamquam ibi dativo haec admixta sunt; sed cf. Gramm. nostr. §. 263. Ob aquilas igitur irata illa aedibus etc. — *θυομένοισιν,* qui sacrificant, i. e. occidunt et comedunt *μογερὰν πτάκα.* Schol. M. Gr. V. *πτάκα· τὸν λαγωόν.* Aeque legitimae formae *πτὰξ* et *πτὼξ* a *πτήσσω* et *πτώσσω,* timore comprimi (sich ducken). Sed lectio *πτῶκα* metro excluditur. Invidiosum non in eo, quod aquilae leporem comedunt, id enim dum faciunt, naturae leges sequuntur, sed quod *αὐτότοκον.* Schol. M. G. R. T. *σὺν αὐτῷ* (M. G. add. *τῷ*) *τόκῳ.* Hunc Stanlejus cum reliquis sequitur provocans ad Hesych. *αὔτανδρον· σὺν αὐτοῖς τοῖς ἀνδράσιν.* Similia multa. Nec potest *ἐν αὐτῷ τῷ τεκεῖν* esse, sed est sub ipsum partus tempus. Hinc illud, quod subj. *στυγεῖ δὲ δεῖπνον ἀετῶν.* Rationem addit Schol. *ἐπεὶ λοχεία γάρ ἐστιν ἡ θεός.*

Superest epodus, quae eodem *ἐπιφωνήματι αἴλινον, αἴλινον* finitur. De ea succincte egam, ne dissertatio modum his libellis convenientem

excedat, et ut observationibus de ira Dianae, quae dissertationi finem imponent, spatium relinquatur.

V. 138—148. *Τόσσον περ εὔφρων ἁ καλά κ. τ. λ.* — *τόσσον* Med. teste Blomf. Well. *τόσσων* idem teste Joh. Franz. et G. Herm. quod firmat Cod. Guelf. et ipse *τόσσων* exhibens. — *τόσσονπερ* Fa. teste P. Elmsl. *τόσον περ* Fl. Ad *τόσον* G. H. „rectius fortasse". *Vere* omnino. Etenim ne apud Homerum quidem *σ* in hac voce duplicatur extra metri necessitatem, quae hic nulla est. — *περ* neque situi neque sensui conveniens. Nam si a verbis „quamquam tantum" sententia incipit, sequens orationis membrum tollitur, quod Dianam precantem inducit non *quamquam*, sed *quia* animalium pullos caros habet. Scribendum igitur *τόσον γάρ*. — *Ἁ καλά* Diana est, ut seqq. docent, culta hoc nomine apud Arcadas Paus. VIII, c. 35, §. 8. Subest autem descriptio Homerica Od. ζ, 101 Dianae inter virginum comitatum eminentis: *Ῥεῖα δ' ἀριγνώτη πέλεται, καλαὶ δέ τε πᾶσαι.* Dicitur haec *εὔφρων*, bene animata, *benevola*, *δρόσοισιν ἀέπτοισι μαλερῶν ὄντων | πάντων τ' ἀγρονόμων φιλομάστοις | θηρῶν ὀβρικάλοισι, τερπνὰ | τούτων αἰτεῖ ξύμβολα φάναι δεξιὰ μὲν κατάμομφα δὲ φάσματα στρουθῶν.* Haec Victoriana lectio. Pro *ὄντων* Stanlej. felici manu restituit *λεόντων*, scriptorum veterum notaminibus confirmatum. *Δρόσοι* rores eodem modo quo *ἔρσαι* ad indicandos foetus animalium tenellos translatum. Sed haeret interpretatio in *ἀέπτοισι*. Legunt *ἀέλπτοις* M. G. *ἀέπτοις* Fl. B. *ἀέπτοισι* Fa. cum glossa *τοῖς μὴ δυναμένοις πτῆναι* teste P. Elmsl. Is igitur *ἀπτῆσι* legit, quod Heathius conjecerat. G. H. *ἀέπτοισι* probat, nimirum confisus Schol. Med. *τοῖς ἕπεσθαι γονεῦσι μὴ δυναμένοις*. Notat *μὴ* omissum esse in M. Vocem tamen habet Guelf. *τοῖς ἕπεσθαι τοῖς γονεῦσι μὴ δυναμένοις* exhibens et ita M. apud Dindorfium. Est quidem *μὴ* correctura illatum, sed ab eadem manu, quae codicem scripsit. Contra Blomfieldium qui contendit *ἄεπτος* in omnes analogiae regulas peccare, monet idem Aristophani grammatico non ita

visum esse et ad Schol. Il. α, 567 (χεῖρας ἀέπτους) provocat. Ibi Schol. A. ἐν δὲ ταῖς Ἀριστοφάνους γλώτταις διὰ τοῦ κ ἐγέγραπτο, inde corrig. Schol. L. αἱ πᾶσαι (scr. γλῶσσαι) ἀέκπτους ἔχουσι. Hinc patet, vocem inter glossas a magno illo grammatico relatam, non vero ab eo probatam esse, eratque ad explicandas χεῖρας ἀέπτους prorsus inutilis. Quis enim sibi persuadeat ἀέπτοις esse δυσπαρακολουθήτοις, ut ex glossis illis ni fallor explicat Eustathius? Accedit, quod hujusmodi verbalia, ut ἄαπτος, quo utitur G. H., ἄθραυστος, ἄθρεπτος, ἄθυτος passivam vim, non activam habent, quae h. l. requiritur. Meliori successu Blomfieldius e M. ἀέλπτοις leni literarum transpositione ἀλέπτοις fecit. „Proprie“, inquit, „diceretur ἄλεπτος pullus ovo nondum exclusus. Anacr. XXXIII, 8 πόθος δ' ὁ μὲν πτεροῦται, ὁ δ' ᾠόν ἐστιν ἀκμήν, ὁ δ' ἡμίλεπτος ἤδη“. Id jam sensu generali diceretur pro nondum in lucem editis, ut erant illi foetus leporini. Simili significationis dilatatione seu metaphora infantes dicuntur Soph. Oed. T. 17 οἱ μὲν οὐδέπω μακρὰν πτέσθαι σθένοντες. Alio nomine animalium pulli dicuntur ὄβρια, μόλοβρα et ὀβρίκαλα et quidem teste Aelian. Phys. hist. VII, c. 47 ἀγρίων ὑῶν μολόβρια, ὑστρίχων (i. e. ἐχίνων vel ἀκανθοχοίρων) aliorumque ὄβρια. Habet in fine τῶν (add. ἄλλων) τοιούτων ἀγρίων τὰ ἔκγονα ὄβρια καλεῖται. Cum in seqq. ad Aeschyl. Agamn. provocet, aperte legendum: ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα, quas voces sequens καλεῖται absumsit. Alii gramm. ὄβρια καὶ ὀβρίκαλα ad solos leonum et leporum pullos referunt, ut Photius h. v. sine caussa. Addit Eustathius ad Od. ι, 221, p. 1625, 47 ἄρκτων δὲ σκύμνοι καὶ ἄρχιλοι, scr. ἄρκτιλοι. Ex Aeschyli usu manifestum, ὀβρίκαλα non ad certa animalculorum genera pertinere, sed vocem generalem esse. Etymon invenies, si ὄβρια, ὄμβρια, ἔμβρυα, βρίκαλοι (apud Eust. l. l.) ἄρχιλοι, φάκελα, ὀβρίκαλα inter se conferas. Radices sunt βρι et βρυ, illa turgendi, haec bulliendi notione, cum παραγωγῇ καλος quam cum κιλος et κυλος Latinorumque *culus* facile conferas, et μονοσυλλάβως λος in ἡδύλος, Αἰσχύλος,

ψάκαλος a *ψακάς*, cujus compositum Eustathius l. l. ex Sophocle, ni fallor ex aliquo ejus dramate Satyrico, affert *ψακαλοῦχοι*, versibus paulo corruptis, quos ita restituas:

Αἶγες δὲ ψακαλοῦχοι
Μηκάδων ἐπιμαστίδιον γόνον
Ὀρταλίχων ἀναφαίνουσαι νέον.

Quod subjungitur *τερπνὰ* miro errore Schneidewinus (Philolog. T. III, p. 591) non solum ad sequentia *δεξιὰ μὲν ἐπίμομφα δὲ φάσματα* refert, suis praedicatis ita distincta, ut novum non admittant, sed etiam orationem corrumpit *αἰτεῖ* in *εἶθε* convertendo. Nec meliora, quae addit, unumquemque qui orationem bene articulatam animadvertat, intelligere debuisse *τερπνὰ* ad *σύμβολα* pertinere. Nam ipsos orationis articulos si solvis, omnes qui praecedunt dativos adglomerabis et ab eodem *εὔφρων* pendere facies. Iisdem fere vitiis Bambergeri laborat ratio, qui in conventu Philologorum Göttingae habito a. 1852 Schützii conjecturam secutus *τερπνὰ τούτων, αἰτῶ, ξύμβολα κρᾶναι* legit, eo tantum Schneidewiniana melior, quod interjectione *εἶθε* otiosa et juxta optativum superflua dictionem non adulterat. — Quo vero sensu dicatur *τερπνὰ ὀβρικάλοισι*, memini cum ante quinquaginta annos juvenis God. Hermannum audirem, Aeschyli Agamemnona summa cum industria in scholis explicantem praeclarique ingenii lumine illustrantem, ab eo *τερπνὰ* pro *τερπομένη* esse intellectum, collato Soph. Oed. T. v. 82 *ἀλλ' εἰκάσαι μὲν ἡδύς* quod de Creonte dictum Delphis redeunte pro *ἡδυνόμενος*. Spectat simul ad lusus et indolem pullorum, quibus non infantes solum delectari videas, sed viros etiam, ut v. 703 eum, qui pullum leonis gestasse dicitur *ἅμερον εὐφιλόπαιδα καὶ γεραροῖς ἐπίχαρτον*. Sed illo aevo G. H. dictionem *ὀβρικάλοισι τερπνὰ* intactam reliquerat, quam nunc *ὀβρικάλοις ἐπὶ τερπνά* scribendo invertit, sine caussa, ut opinor. Nam si *τερπνὰ* est pro *τερπομένη*, praepositione non opus est. Hom. Od. ζ, 104 de eadem *τερπομένη κάπροισι καὶ ὠκείῃς ἐλάφοισι*. His igitur *τερπομένη*

αἰτεῖ. Quaesitum est quemnam et quid? Respondet Fa. teste P. E. adscribendo ad *κρᾶναι· τελέσαι ἀντὶ τοῦ φᾶναι τελεσθῆναι,* et Sch. Med. Guelph. *τὰ σύμβολα αἰτεῖ με φάναι* (*κρᾶναι* Med.). Fluxit inde Victoriana lectio *φάναι.* Voluit Scholiasta ni fallor *φῆναι* et alter *ἀντὶ τοῦ φανῆναι ἢ τελεσθῆναι.* Placuit illa ellipsis praepositionis etiam recentiorum nonnullis, in his, quod mireris, G. Hermanno quoque. Nullam enim aliam rationem video, quare is *κρᾶναι* lectionem sanam Fl. et Fa. (M. et G. *κράναι* habent) commutaverit. Subest notissima Homeri dictio *τόδε μοι κρήηνον ἐέλδωρ* Il. *α*, 41. Non autem inter Dianam atque Calchantem res agitur; incongruum enim esset, vatem a dea precibus adiri, sed inter Dianam atque Jovem, oraculorum et praesagiorum auctorem atque arbitrum et recte factum a I. Fr. Nägelsbachio, aliis, quod *Δία* ad *αἰτεῖ* intellexerunt. Acriter quidem obsistit Schneidewinus. Dicit enim, unumquemque, cui mens non corrupta sit, perspicere debere, ad *αἰτεῖ* addendum *με* vel *Δία* ut aliqua saltem modo explicari possit. De supplendo *με* nemo amplius cogitabit, de supplendo *Δία* nulla superesse potest dubitatio. Simili modo v. 648 *ἀκήρατον σκάφος ἤτοι τις ἐξέκλεψεν, ἢ 'ξῃτήσατο θεός τις, οὐκ ἄνθρωπος, οἴακος θιγὼν* praeco dicit navem suam intercessione dei alicujus servatam esse, sed deum non nominat, apud quem intercessio facta fuerit, quia unusquisque intelligebat, hunc eum esse, qui procellas moverit. — Ceterum disjunctio illa *δεξιὰ μὲν κατάμομφα δὲ* non ad Dianae preces pertinet, cujus non erat haec distinguere, sed vatis judicium continent. Sensus igitur: Diana, animalium pullis benevola, a Jove precatur, ut *integrum* eventum habeant illa auguria, quae fausta quidem sunt, sed simul *vituperabilia*, i. e. aliquid Atridis formidolosum continent. Prius illud impedire non potest, hoc ut eveniat numinique suo ut satisfiat precatur. De clausula *φάσματα στρουθῶν* multae disputationes agitatae, quas hoc quidem loco persequi nolumus. Unum tantum monemus, ab Hermanno contendi *στρουθοὺς* non sensu generali *aves,* sed speciali *passeres* intelligi et provocari ad anaglyphum istud, in quo duplex augurium, Argivum hoc aquilarum

et Aulidense passerum sculptum est (in Böttigeri Amalthea, tom. 1 init.). Non reputavit vir praeclarus, haec juxta poni potuisse a sculptore, non vero in eodem augurio comprehendi a poeta, ut is eodem tenore ab aquilis et a passeribus augurium factum esse caneret. Neque contentus hoc conamine *φάσματα στρουθῶν* mutavit in *φάσματι τῷ στρουθῶν*, sequutus ni fallor lectionem Florentinam *φάσματα τῶν στρουθῶν*. Positionis *στρουθῶν* neglectum rhythmi dactylici impetus adduxit, habuitque poeta Homeri exemplum in *Ζάκυνθον*, *Ἱστίαιαν*, alia quae ab ipso Hermanno congesta sunt in Elem. Doctr. Metr. p. 46, 47. Nec erat, quare diceret alienum esse, quod Eustathius p. 228, 38 docet, *στρουθὸν* esse etiam *γενικὴν λέξιν*, sequutus Aelium Dionysium, cui *ἄγριαι στρουθοὶ αἱ στρουθοκάμηλοι* dicebantur. Verum quidem diversam fuisse grammaticorum sententiam de generali *στρουθῶν* significatione, sed hic ipso poetae locus et struthiorum appellatio manifesto declarant, hunc usum prisco aevo vindicandum esse; aliter enim aves illae magnae et ambiguae hoc nomen sortiri non potuissent, nec mirum eam servari ab Aeschylo in vaticinii sermone, cui obscura et recondita etiam in verbis conveniunt.

Reliqua epodi pars v. 144—154: *Ἰήϊον δὲ καλέω Παιᾶνα — τὸ δ' εὖ νικάτω*, non ita multa habet, quae interpretem retineant. Praevidit Calchas sacrificium Aulidense, Clytaemnestrae marito perniciosum, et dira quae inde sequutura sint, et deum averruncum invocat, ut haec mala avertat. Est is *ἰήϊος*, a quo mala *ἰὴ ἰὴ* clamantium *ἰήϊοι κάματοι* (Soph. Oed. Tyr. v. 173) avertuntur, item *παιήων* nomen a deo in hymnum translatum. Il. *α*, 473 *καλὸν ἀείδοντες παιήονα*. Ab Etym. M. haud scio an recte derivatur a (*πάFω*) *παύω* estque numen, quod morbis medetur, unde medici sub ejus tutela versantur, tanquam ejus soboles; Od. *δ*, 232 de Aegyptiis: *ἰητρὸς δὲ ἕκαστος . . . ἦ γὰρ Παιήονός εἰσι γενέθλης*, inde forma contracta Pind. Pyth. IV, v. 480 *ἐσσὶ δ' ἰητὴρ ἐπικαιρότατος Παιάν τέ σοι τιμᾷ φάος*, et Sophocl. Oed. Tyr. v. 186: *παιὰν δὲ λάμπει στονόεσσά τε γῆρυς ὅμαυλος*. Antiquitus diversus

ab Apolline deus, quem Ag. v. 1049 dicit *οὐδὲν προσήκοντ' ἐν γόοις παραστατεῖν*, immixtus tamen ejus cultui, ut monstrat Soph. Oed. T. v. 154 *Ἰήιε Δάλιε Παιάν* et adjuncta *ἰὴ* voce Apoll. Rhod. Arg. π, 704 *ἰηπαιήον'*; *ἰηπαιήονα Φοῖβον*, non item nostro loco, ut putat Schneidewinus. Non enim potuit frater Dianae contra sororem invocari, ut recte observat G. Hermannus. Hunc igitur precatur, ut impediat Dianam *μή τινας — σύμφυτον* ne adducat Danais *ἀπλοίας*. Radix *πλε*, unde *πλέω* et *πλόος*, (ut a *λέγω* fit *λόγος*), nec non adjectiva *πλοῖον* (sc. *σκάφος*) *εὔπλοιος εὐπλοία*. — *Ἀφροδίτη* hoc nomine culta a Cypriis. Formam substantivi, quae hic requiritur, puto fuisse *ἀπλοῖα*, *εὐπλοῖα*, quae si *εὔπλοια* et *ἄπλοια* exhibetur, duplex jota *συνιζήσει* in longum conjunctum fuit. Has ipsas *ἀπλοίας* appellat *χρονίας ἐχενῆδας*, eadem synizesi pro *ἐχενηΐδας*, item *ἀντιπνόους Δαναοῖς* quae ventis ex adverso spirantibus oriuntur. Eas ne efficiat, *σπευδομένα κ. τ. λ.* Mira confusio in lectione, quae *σπευδομένα* est (M. B. Fl. Fa.), e codice Guelph. enotanda. Codex ipse habet *σπευνδόμενα*. Signum diphthongi distinctum, et literae post *ευ* forma supra aperta manifesto *ν* monstrat, quamquam lineola inferior paulo porrectior sit, nec ullum rasurae vestigium. Nulla lineola transversa, quam J. Fr. refert et a librario lapsu calami factam judicat, neque, ut idem tradit, literae *υ* fere forma literae *ν* data est. Porro non legitur *σπευδόμενα*, quamvis G. H. id testetur, addito *sic*, et mutatum in *σπενδόμενα* contendens. Nec denique *σπαρδομένα* apparet, quod Blomfieldio et Wellauero collatores praebuerunt. Error librarii in eo consistit, quod siglum diphthongi pro simplici *ε* posuit, satis obvius, quia ductus, quo *ε* et *ευ* signantur, simillimi sunt, sed res notatu tamen digna, ut turbae essent inde natae.

Paean igitur impediat, ne flatus illos moveat dea, *σπευδομένα θυσίαν ἑτέραν*. — *Σπεύδω τι* accelero aliquid et cum studio appeto, Od. υ, 137 *οἱ δὲ γάμον σπεύδουσιν*, et Prometh. 203 *σπεύδοντες, ὡς Ζεὺς μή ποτ' ἄρξειεν θεῶν*. Inde medium *sibi* aliquid studiose appetere,

indignum videretur, necem regiae virginis a dilaceratione leporis repetere, in conventu philologorum auctumno anni 1851 Erlangae habito quaestionem proposuit, quam causam irascendi Diana habuerit. Ipse omnem rem ab aquilis ad Thyesteas dapes retulit, arbitratus scilicet, v. 136 *στυγεῖ δὲ δεῖπνον αἰετῶν* istas epulas intelligi, et Atreum ipsum cum fratre Thyeste aquilas dici. In eam autem opinionem cum delapsus esset, eandem de ira Dianae quaestionem adversam habuit, et libere professus est, se ignorare, quare de dapibus Thyesteis Diana prae ceteris diis iram in Atrei genus conceperit. Ac is quidem si animum rei difficultate minus obnubilatum habuisset, pro ingenii sui acumine perspexisset, in verbis *στυγεῖ δὲ δεῖπνον αἰετῶν* duplicem sensum inesse non posse, ut et aquilas et par illud ignobile fratrum simul significaret, sed omnia, quae praecedunt, et quae sequuntur *αὐτοτόκον πρὸ λόχου κ. τ. λ.* et *τόσον γὰρ εὔφρων κ. τ. λ.* ad solam leporinae sobolis dilacerationem debere referri.

Jam si quis diversas causas, e quibus a poëtis ira Dianae derivatur, accuratius examinaverit, facile patebit, his subesse reconditi aliquid, quod ex remotissima antiquitate traditum lateret, et pro recentioris aevi indole variis modis explicaretur. Illud ipsum autem quid fuerit, si quaerimus, ad Aulidensis sacrificii aevum redire, et quid in portu ejus regionis institutum et procuratum fuerit, accuratius investigare debemus. Notum autem, classem Graecorum Trojam navigare volentium illuc convenisse, et ventis adversis juxta Euripi Chalcidisque angustias retentam atque ad summam rerum inopiam redactam fuisse. Narrat Livius XXVIII, 6, haud facile aliam infestiorem classi stationem esse; „nam, inquit, et venti ab utriusque terrae praealtis montibus subiti ac procellosi se dejiciunt, et fretum ipsum Euripi non septies die, sicut fama est, temporibus certis reciprocat, sed temere in modum venti nunc huc nunc illuc verso mari velut monte praecipiti devolutus torrens rapitur, ita nec die nec nocte quies navibus datur". Haec ex rhetorum scholis repetita potius

quam ad rerum naturam descripta sunt. Montes Euboeae et adversi Atticae atque Boeotiae non infestiores sunt ventis, quam reliquorum sinuum Graecorum cacumina prope posita. Non minus falsa, quae de Euripo narrat. Mansit loci natura, et etiam nunc fretum istud septies die statis horarum momentis reciprocat, tam tranquillo fluento, ut, ni venti ingruant, mare agitari non videas, motusque ejus rationem nonnisi injecta et supernatante materia dignoscas. Turbae oriuntur tunc demum, cum fluxus et refluxus maris sensim exsurgentis et recidentis ventorum violentia impeditur et confunditur. Sed haec obiter. Procellae, quibus tunc classis in angustiis istis retinebatur, aquilones erant, Aulide septentrionem versus Trojam navigare volentibus e regione oppositi, et qui ex istis maris anfractibus nullum nisi meridiem et Peloponnesum versus iter navibus permitterent. Ex hac igitur calamitate pro temporum illorum persuasione a diis auxilium erat expetendum. Erat omnis illa circa Aulidem regio Dianae sacrata, ejusque vetustissimo templo insignita, quod posterorum quoque temporum memoria celebravit. Haec causa est, quare Nonnus Dionys. XIII, v. 104 regionem illam Dianae sedem appellat: *οἵ τ' εἶχον ἀγρονόμων ξεινοδόκον οὖδας Ἀχαιῶν, Αὐλίδα πετρήεσσαν ἑδέθλιον Ἰοχεαίρας*, et Scylax Aulida ipsam templum appellat pag. 23, Dianae nimirum, cujus ad aram Pausanias IX, cap. 19, §. 6, sacrificium Iphigeniae institutum fuisse memorat. Ejus igitur numinis auxilium erat implorandum, utpote praesentis et cujus tutelae tam regio quam classis tunc esset credita. Simile aliquid factum in pugna Plataeensi; nam cum Pausanias, rex Spartanorum, a Persarum equitatu premeretur, neque tamen auspicia pugnare cupientibus addicerent, oculos, ut Herodotus refert, (IX, 61) ad templum Junonis in conspectu situm convertit, Deaeque auxilium imploravit, quo facto auspicia fausta apparuerunt, et pugna cum internecione Persarum exercitus secuta est. Quae vero Diana illa fuit, cujus tunc tutela utebantur et auxilio indigebant? Taurica fuit, *Ὀρθία* apud Lacones dicta. In hujus enim delubrum ex posteriorum fama Deae interventu Aulide dicebatur translata, donec inde cum numinis bar-

barici imagine Spartam ab Oreste reduceretur. Huic autem numini sanguine humano litare fas erat, mansitque cultus horrendus, quamvis immutata ratione usque ad Pausaniae aetatem. A Lycurgo enim institutum fuit, ut hominum mactatio tolleretur quidem, sed adolescentuli ante aram ejus constituti plagellis caederentur. Notat Periegetes, si quando flagellarius adolescentuli genere aut forma motus minus acerbe flagello uteretur, gravari tunc Deae imaginem, quam sacerdos gestans post aram staret, (II, cap. 16 fin.) additque, *οὕτω τῷ ἀγάλματι ἀπὸ τῶν ἐν τῇ Ταυρικῇ θυσιῶν ἐμμεμένηκεν ἀνθρώπων αἵματι ἥδεσθαι.*

Ab hac igitur Aulidis praeside, si auxilium contra ventorum violentiam erat quaerendum, quam aliam victimam praeter humanam eamque pretiosissimam ei offerre poterant, ut voti fierent participes? Hinc virgo regio sanguine et formae dignitate conspicua ei sacrata et ad aram ejus barbarico ritu mactata fuit. Haec si antiquitus tradita fuerunt, apertum est, de ira vel invidia Dianae in Atridas et procellis inde motis nihil fabulam continuisse, sed hoc tantum constitisse, auxilium contra ventos boreales illis in regionibus frequentissimos et fere continuos victima humana quaesitum atque impetratum fuisse. Non contendam, hanc vetustissimam fuisse fabulae formam, quae Dianae Agamemnonis et Iphigeniae nomen complectitur. Eam enim aetate praecedere videntur quae de Iphigenia tanquam *dea*, de Agamemnone Dianae sacerdote, de Diana *Gygaea,* Lydorum numine Tantalidis fere domestico referuntur, tractata nuper ab Ernesto Curtio, insigni antiquitatum Peloponnesi scrutatore (Artemis Gygaia und die lydischen Fürstengräber, Berlin 1853). Sed illud tantum quaerimus, quod in fabulis, quae ad Iphigeniae quod ferebatur sacrificium pertinent, antiquissimum habendum sit. Ab hac igitur horrida prisci aevi reique gestae simplicitate posteri ita declinaverunt, ut statuerent, procellas istas a Diana fuisse motas. Hoc autem si factum fuerat, causa ejus irae circumspicienda erat, quam non unam, sed ex ordine tres quatuorve invenerunt, pro temporum ingenio diversas. Harum

vetustissima haud dubie judicanda, quam Aeschylus sequitur, ab augurio aquilarum iram Dianae repetens abominando deae et ob id ipsum Atridis formidoloso. Haec autem non tam est futilis quam visa fuit Chr. G. Schützio comm. p. 171 ad v. 148, sed sua ipsius indole cascam illam antiquitatem redolet, qua quaecunque deorum numen laedunt, omnibus, ad quos ea res pertinet, ira divinitus mota ingruit. Si quid autem ab Atridis in ea re commissum fuit, hoc in eo quaeras, quod licet a Calchante de imminente numinis vindicta moniti, nihil tamen ad religiones Dianae procurandas ejusque invidiam placandam ab eis institui videas. Non sane hoc modo prorsus solvitur atque diluitur, quod, si sensus humanitatis magis excultos admoveas, reverentiae diis habendae repugnet. Inde natas crediderim fabulas, quibus ipsi Agamemnoni noxam aliquam veram injungerent, quas Sophocles et Euripides secuti sunt, ille enim Electra v. 556 seq. Agamemnonis filiam haec narrantem inducit: *πατήρ ποθ' οὑμός, ὡς ἐγὼ κλύω, θεᾶς | παίζων κατ' ἄλσος ἐξεκίνησεν ποδοῖν | στικτὸν κεράστην ἔλαφον, οὗ κατὰ σφαγὰς || ἐκκομπάσας ἔπος τι τυγχάνει βαλών· | κἀκ τοῦδε μηνίσασα Λητῴα κόρη | κατεῖχ' Ἀχαιούς, ὡς πατὴρ ἀντίσταθμον | τοῦ θηρὸς ἐκθύσειε τὴν αὑτοῦ κόρην*, quibus conf. Hygin. fab. 93, 261. Contra Euripides iram deae ad votum ab Agamemnone susceptum, sed non solutum retulit, Iphig. Aulid. v. 530, idque accuratius explicat in Iphig. Taur. v. 20 seqq. Eo enim anno, quo nasceretur Iphigenia, Agamemnonem promisisse, Dianae se sacrificaturum, quod annus ille praestantissimum in lucem edi vidisset. Hoc igitur promissum diu neglectum cum Diana eo tempore exigeret, quo exercitus Achaeorum in deae nemore Aulide retineretur, Calchantem edixisse, praestantissimum istud, quod ex Agamemnonis voto Dianae deberetur, Iphigeniam esse anno illo fatali natam, eoque regem ad filiam immolandam fuisse compulsum. Cum vero haec quoque fabulae immutatio, qua culpa aliqua in Agamemnonem conferebatur, cultiori judicio nondum satisfaceret (nam pro nocente patre innocens filia leto vovebatur) ulterius progressa est de rebus divinis persuasio, et Pindaricum illud Olymp. I,

35, *ἐστὶ δ' ἀνδρὶ φαμεν ἐοικὸς ἀμφὶ δαιμόνων καλά· μείων γὰρ αἰτία* — secuta ipsam Iphigeniae mactationem sustulit, et virginis loco cervam Calchantis mucroni perimendam subjecit. Secutus est hanc famam jam Euripides Iph. Aul. v. 1585 *ἐκ θεῶν τινος φάσμα* appellans cervae pro virgine apparitionem. Item auctor picturae Herculanensis, qui Dianam cum cerva in nubibus sacrificio intervenientem delineavit. Repetita pictura est a Carolo Oesterley Gottingiensi (Denkmäler der Kunst nach der Auswahl von K. O. Müller, Tafel XLIII, n. 206). Desinet jam, ut equidem spero, Naegelsbachius de ira Dianae ejusque causa invenienda esse sollicitus, neque Doederleinius noster de hac re disputantibus denno occinet illud *οὐδεὶς γὰρ ἔκφορος λόγος*, ut fecit in Erlangensi philologorum conventu actorum p. 73.

Posteaquam vero terminum rerum, quae hoc carmine ad grammaticam et criticam nec non ad fabulam de Iphigenia pertinent, attigimus, superest, ut paucis ad *ἐπιφώνημα* finis stropharum redeamus, e quo disputatio de Lino instituta pendebat et breviter recenseamus ea, quae his proximis triginta annis post Heynium a viris doctis de fabula Lini partim *ὡς ἐν παρέργῳ* partim singulis libellis scripta sunt, ne ignorasse videamur, quae in observationum nostrarum simplicitate et brevitate non attigimus. Primus est Odofredus Müllerus, qui in praeclaro de Doriensibus opere (die Dorier, 2 Abtheil. 2. 3 b. p. 348). Apollinis in Linum odia ad musices sedatae et orgiasticae discrimina refert, nullo ut mihi videtur successu. Ab eodem Linus, Hylas, Bormos vel Bormius, Lityerses praeter Adonin et Manerota scite componuntur. — Eandem viam ingressus est F. G. Welckerus in egregia de Lino dissertatione, quam primum in L. Zimmermanni Ephemeridibus (Allgem. Schulzeitung) publicavit et a. 1844 in Opuscula minora (Tom. 1 ab. init.) additis novis observationibus recepit. Multa insunt digna tali viro, non pauca tamen, quae impugnari possint. Pertinet huc, ut saltem nonnulla tangamus, quod p. 43 cantum de Lino recentiori Graecorum aevo evi-

duisse et in cantilenam popularem abiisse ex Pausaniae loco (l. IX, c. 29 p. 767 ed. Kuhnii) concludit, quae quidem vel sententia vel opinio a Periegetae alienissima fuit. Is enim dum narrat, a Pampho *vigente luctu de Lino* Oetolinum compositum fuisse, non sua ipsius, sed Pamphi tempora respicit, quem cum crederet Atheniensibus vetustissimos hymnos fecisse, Lini aetati fere parem fuisse putavit. Quod si igitur eum *ἀκμάζοντος ἐπὶ τῷ Λίνῳ πένθους* cecinisse statuit, non innuit, suo ipsius aevo non amplius viguisse Linum, sed poetam antiquissimum *recente de Lini obitu dolore* hymnum illum composuisse. Eodem referam quod p. 46 Linum ab Hercule discipulo lyra percussum et interfectum fabulam jocosam appellat, non ante Achaeum poetam comicum natam, qui primus eam in scenam produxerit. Persuasit hoc Ottoni Jahnio, viro in his studiis primario, qui hoc proximo Novembri mense in Societatis litterariae Lipsiensis consessu publico de Herculis laboribus nonnullis in vasculis graecis depictis praeclare ut solet agit (14. Nov. öffentl. Sitzung über einige Abenteuer des Hercules auf Vasenbildern p. 46). Talia vero, ut mihi quidem persuasum est, non fingunt poetae recentiores, ut in priscum aevum inferant, sed ex caeca antiquitate repetunt et in usus suos immutata convertunt. Nec potest Hercules Lini discipulus ab Hercule Musagete a Romanis culto separari, quem Friedericus Creuzerus magnus Mythologiae comparatae stator, jure cum *Διονύσῳ Μουσαγέτῃ* componit et Phoenicum fabulis in Graeciam translatis vindicat (Symbolic. T. II, p. 246, 247 not. 306). Sed haec obiter. Magis ad rem nostram spectat, quod Welckerus Lini et Adonidis nexum p. 52 non admittit, quin respuit et contemnit, Linumque, Hylam, Lityersen alios ad fabulas singulis gentibus atque locis proprias et ad vegetam naturae vim ingruente solis ardore marcescentem luemque inde natam revocat. Obstat huic opinioni interna fabulae indoles apud diversissimas gentes eadem, quippe quae omnes juvenem heroa egregiis actibus insignem et immatura morte peremptum norunt et luctu quotannis repetito decorant. Hoc enim fieri non potuisset, nisi omnes eandem traditionem vel antiqui cultus partem a gen-

tibus religionum auctoribus acceptam pro ingenii atque loci natura in usus suos convertissent. — Addi his debent *Schweighauseri* ad Herodotum de Manerote supra laudatum animadversiones, Spitzneri ad Iliadem excursus XXIX de Lino, nec non duae dissertationes docte et scite perscriptae, altera *Athanasii Ambroschii* de Lino (Berol. 1829) altera *Ernesti de Salice* (Lasaulx) de Lini naenia (die Linusklage, Würzburg 1842). Ac is quidem naenias per tot gentes diversis peremptorum juvenum nominibus propagatas dolorem indicare atque referre statuit, qui generi humano post perditam divinae originis puritatem atque imaginem manserit et in istis cantilenis conditus fuerit. — Haec omnia igitur largam disputandi materiam praebent; ac nobis quidem satis fuit, summa capitum tangere, quibus efficeretur, quod demonstrare voluimus, fabulam de Lino particulam esse religionis diversa symbolorum rituumque specie per multas gentes propagatae, quae ubicumque integra pervenerat, annum marcescentem aut occidentem, id est Deum ejus praesidem luctu prosequeretur, eundemque redivivum laetis carminibus exciperet.

N o t a.

Iis, quae §. V. p. 334 de etymo v. *Λίνος* et *Οἰτόλινος* commemorata sunt, subjungere lubet observationes, quas Anastasius Gennadius quem loco commem. laudavimus his postremis diebus de eadem re mecum lingua patria perscripta communicavit. Sunt enim utilissima ad nexum antiquae et recentis linguae graecae cognoscendum viamque duce Corai, immortali viro, monstrant, qua ex hodierna graecitate ad antiquae et dictionis et poetices indolem accuratius cognoscendam perveniri possit.

Τοῦ Αἴλινος συγγενὲς ἐπιφώνημα σώζει ἡ συνήθεια, τὸ ἀλοῖ, περὶ οὗ τάδε ὁ Κοραῆς ἐν τοῖς Ἀτάκτοις, β΄, 29—30, σημειοῖ, ἀλὶ ἢ ἀλὴ αὐτὸ γράφων: „ἡ παραγωγή του εἶναι δυσεύρετος. Πιθανόν, ὅτι εἶναι τῆς αὐτῆς συγγενείας, τῆς ὁποίας καὶ τὸ Αἐλὶς καὶ Αἴλινος. Τὸ πρῶτον ἐξηγεῖ ὁ Ἡσύχιος, „Αἐλίς, τάλαινα, ἀθλία", τὸ δεύτερον „Αἴλινος . . . θρῆνος". Ἴσως εἶχαν καὶ θρηνητικὸν ἐπιφώνημα αἶλι, ὅθεν ἐσχηματίσαμεν τὸ ἀλί, ὡς τὸ Ἀψὰ ἀπὸ τὸ Αἶψα". Καὶ περὶ μὲν τῆς παραγωγῆς τούτου καὶ συγγενείας οὐδεμία ἀμφιβολία·, ἄμεινον δ' ἂν γράφοιτο ἀλοῖ κατὰ τὸ εὐοῖ καὶ αἰβοῖ καὶ τὰ ὁμοιότροπα ἐπιφωνήματα, καίτοι τοῦ ἐν τῷ η γραφομένου.

Ἐγένετο δ' ἐκ τοῦ αἱλοῖ ἢ ἀλοῖ αἴλινος, τὸν αὐτὸν τρόπον, καθ' ὃν ἐκ τοῦ ἰὴ ἢ ἰοῖ ἰήϊος, καὶ πιθανῶς ἐκ τοῦ εὐοῖ εὐοίιος.

Τῆς δ' αὐτῆς συγγενείας καὶ τὸ ἰάλεμος καὶ ἰαλέμων ἂν εἴη, καὶ τὸ τῆς συνηθείας δὲ θρηνητικὸν ἐπιφώνημα ἀλοίμονον, ὅπερ ὁ μὲν Κοραῆς, Ἄτακτα, β', 34, ἀνεξήγητον πάντως κατέλειπεν, ὁ δὲ Δημήτριος ὁ Βυζάντιος ἐν τῷ τῆς Ὁμιλουμένης Λεξικῷ ἐκ τοῦ ἰαλέμων παράγει, ἀλήμωνον αὐτὸ γράφων. Ἔςι δ', ἐμοὶ δοκεῖ, οὐδέν τι ἄλλο ἢ αὐτὸ τὸ ἀλοῖ, ὃ ἐμπροθέτως ἀλοῖ εἰς ἐμένα ἢ πρὸς γενικὴν, ἀντὶ τῆς παρὰ τοῖς πάλαι δοτικῆς, ἐκφέροντες ἀλοῖ μου μιᾷ λέξει φαμέν, οἷον τὸ καὶ εἰς τὸ οἴ μοι καὶ εὖ οἷ (ὅπερ ἡ συνήθεια ὁμοίως καλὸ εἰς τὸν [illegible] φησὶ) συνέβη, ἅπερ κατὰ μικρὸν ὡς μία λέξις ἐγένετο· τούτῳ οὖν τῷ ἐπιφωνήματι ἀλοῖ μου προσθέντες τὴν ἐν τοῖς τοιούτοις κατάληξιν νον (ὡς ἐν τῷ αἴλινον. ἐλεινόν, ἰήϊον κλπ.), τὸ ἀλοίμουνον πεποιήκαμεν, ἢ ὡς αὐτὸ ἕτεροι φασίν, ἀλοίμονον.

Διττῆς δὲ οὔσης παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τῆς τοῦ Αἰλίνου σημασίας, χαρᾶς τε καὶ θρήνου, ὡς ἐν ταύτῃ αὐτοῦ τῇ διατριβῇ ὁ Θείρσιος δείκνυσι, ἐν τοῖς συγγενέσι ἀλοῖ καὶ ἀλοίμονον τὴν δευτέραν μόνην, τὸ θρηνητικόν, διετήρησεν ἡ συνήθεια, ὥσπερ καὶ ἐν τῷ αἰβοῖ, παρὰ τοῖς πάλαι θρήνου τι σημαντικῷ ὄντι καὶ ἡδονῆς, ἔτι δὲ καὶ θαυμασμοῦ, ἡμεῖς θαυμαςικῶς μόνον καὶ ἐφ' ἡδονῆς χρώμεθα.

Πολὺ δ' ἔςι τὸ ἀλοῖ ἐν ταῖς ἐπὶ τοῖς ἀποιχομένοις θρηνῳδίαις, ἃς μυρολόγια φησὶν ἡ συνήθεια, ὥσπερ καὶ μυρολογεῖν τὸ μύρεσθαι, μυρῳδεῖν, (ἴδ. Κορ. Ἡλιόδ. 169. Ἄτακτ. β', 255. δ' 345) καὶ ἐν τοῖς ἐπὶ τοῖς πεσοῦσιν ἥρωσιν ἐλέγοις, ὡς ἔςιν ἰδεῖν ἐν τοῖς ἡμετέροις δημοτικοῖς ᾄσμασιν, ἐν οἷς τοὺς θρήνους τούτους ἀηδόνας τὰ πολλὰ καὶ πτηνὰ (πουλιὰ ταῦτα φαμέν, ἴδ. Κορ. Ἄτακτ. α', 172.), ἔςιν δ' ὅτε καὶ τὰ ἄψυχα δένδρα τε καὶ ὄρη, βουνὰ καὶ ποταμοὺς ποιοῦμεν μυρῳδοῦντας· καὶ τοῦτο παρὰ τῶν πατέρων λαβόντες, παρ' οἷς ἐν τοῖς τοιούτοις εἰσάγεται ἀηδὼν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μυρομένη, ὃ ἀπὸ τὸ περὶ τὴν Δαυλιάδα ὄρνιν πάθος ἄρξασθαι δοκεῖ, (ἴδ. Αἰσχύλ. Ἀγαμ. 1144. Σοφοκλ. Ἠλεκτρ. 105. 147. καὶ αὐτόθι Βοισσονάδην. Αἴας 627 κ. λ. π.), ἀλλὰ καὶ ποταμοὶ καὶ ἄλσεα· αὐτίκα ὁ Μόσχος (ἓν γὰρ ἐκ πολλῶν λεγέσθω) ἐν τῷ τοῦ Βίωνος ἐπιταφίῳ,

Αἴλινά μοι ςοναχεῖτε νάπαι, καὶ Δώριον ὕδωρ,
καὶ ποταμοὶ κλαίοιτε τὸν ἱμερόεντα Βίωνα.
Νῦν φυτά μοι μύρεσθαι, καὶ ἄλσεα νῦν γοάοισθε κ. λ. π.
. . . .
Ἀδόνες, αἳ πυκινοῖσιν ὀδυρόμεναι ποτὶ φύλλοις,
νάμασι τοῖς Σικελοῖς ἀγγείλατε τᾶς Ἀρεθοίσας,
ὅττι Βίων τέθνακεν ὁ βωκόλος . . . .

Οὐκ ἄλλως καὶ οἱ ἡμέτεροι ἀοιδοὶ τὴν γοῦν ὑπὸ τῶν Τούρκων πόλεώς τινος καταστροφὴν οὕτω τις μύρεται,

ἀλοῖ 'ς ἐσᾶς 'ψηλαῖς κορφαῖς, ἀλοῖ 'ς ἐσᾶς βρυσούλαις.
κλάψατε, ἀηδόνια, κλάψατε, πουλιὰ μυρολογῆσε,
καὶ 'σεῖς, καϊμέν' Ἀρβανιτιά, πικρὰ θρηνολογῆσε.

Καὶ αὖθις λῃςῆρος τινος τὸν θάνατον ἕτερος,

Λιάκο, σὲ κλαίουν τ' Ἄγραφα, ἡ βρύσες καὶ τὰ δένδρα,
σὲ κλαίουν τὰ 'ψηλὰ βουνά, καὶ ςέκουν μαραμμένα,
κ' ἕνα πουλάκι κλαίει σε, πικρὰ μυρολογᾷ σε.

Καὶ ἄλλος πάλιν τοῖς πτηνοῖς κελεύων ἀγγέλλειν εἰς τὴν Εὐρώπην τὴν ὑπὸ τῶν Χριςιανῶν προξένων προδοσίαν τῶν Ἑλλήνων εἰς τοὺς Τούρκους,

ἐσεῖς πουλιά, ὅσα αὐτοῦ θρηνᾶτε εἰς τοὺς ἴσκιους
εἴδησιν δόστε 'ς τὴν Φραγγιάν, 'ς τῶν Χριςιανῶν τοὺς τόπους.

Ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα πολλὰ ἔςιν ἐξῆς· ἀπόχρη δ', οἶμαι, καὶ τὰ εἰρημένα, μικρὸν τεκμήριον παρέχοντα, τί ποτ' ἐλπίζειν δεῖ ἐκ τῆς μετ' ἐπιςάσεως ἐρεύνης τῆς τῶν νέων ἡμῶν Ἑλλήνων γλώσσης, ἧς οὐκ ἄν τις εὕροι βάσιν βεβαιοτέραν καὶ θεμέλιον εἰς ὀρθὴν ἐπίγνωσιν τῆς τῶν πατέρων φωνῆς ἐν γένει, ἰδίως δὲ τῆς δημώδους καὶ τῆς πάνυ ἀρχαίας, ἐφ' ἧς ἄλλως χρὴ μάλιςα ζητεῖν τὸ Ἀρχιμήδειον ἐκεῖνο δός μοι ποῦ ςῶ· τοῦτο δ' ἄρα παρ' ἡμῖν ὑφίςαται. Ὁδηγὸς δὲ καὶ διδάσκαλος ὁ Κοραῆς ἐκεῖνος, περὶ οὗ ὥσπερ ἐπίτηδες δοκεῖ πεποιεῖσθαι τὰ Ὁμηρικὰ ἐκεῖνα,

εἷς βασιλεύς, ᾧ ἔδωκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω
σκῆπτρον τ' ἠδὲ θέμιςας, ἵνα σφίσιν ἐμβασιλεύῃ.

Παρηκολούθησαν δέ πως ἐκ τῶν ἀλλογενῶν ἄλλοι τε, καὶ δὴ καὶ Λοβέκκιος ὁ Χαλκέντερος, Θείρσιος, Βοισσονάδης, Γαλατῶν ἄριςος, ἐν δὲ τοῖς μικρὸν πρότερον Σχαιφῆρος ὁ πάνυ, ὃς σὺν ἄλλοις καὶ τάδε ὑπαγορεύει, ἃ φημὶ δεῖν ἀεὶ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχειν, (ἐν ταῖς εἰς τοὺς Πλουτάρχ. βίους σημειώσ. VI, 423—424): Quae ad h. v. (*τουτέςι περὶ τοῦ σώζω, σώνω, σωθείς, εἰς Πλουταρχ. β'*, 416) Coraës egregie adnotavit (cf. not. ad Schol. Apoll. Rhod. p. 317), in iis maxime disputata de Homerico *σῶς ὄλεθρος*, quod non intelligas, nisi calleas Neograecorum linguam, diligenter advertere philologorum interest. Sed omnino vix credas, nisi praestantissimis viri summi editionibus scriptorum Graecorum ipse utaris, qualem quantumque thesaurum ad cognoscendam veterum graecitatem e recentiori, quam vulgi ignari fastidium contemnit, depromtum manu largissima dispersaverit.

Ἀναςάσιος Γεννάδιος.